

Q. D. B. V.  
EXERCITATIO ACADEMICA,  
QVA OSTENDITVR,  
DVODECIM  
POSTREMA COMMATA,  
MARCI CAPITE DECIMO  
SEXTO EXTANTIA,  
ESSE GENVINA.

---

HANC,  
PRAESIDE  
IOHANNES ADAMO  
OSIANDRO,  
GRAECAE LINGVAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,  
DVCALIS STIPENDII EPHORO,  
VNIVERSITATIS HOC TEMPORE RECTORE,  
DIE OCTOBRIS A. MDCCLIII.  
HORIS LOCOQVE CONSVETIS  
PRO LAVREA SECVNDA  
LEGITIME CAPIENDA  
DEFENDET:  
EBERHARDVS FRIDERICVS DIETERICH, *Ludovicopolitanus*,  
SERENISSIMI STIPENDIARIVS, ET MAGISTERII  
PHILOSOPHICI CANDIDATVS.

---

TVBINGAE, TYPIS ERHARDI.

56.  
a. LXXXVI. 54.

Coll. diss. A  
86, 54

THESE  
MAGISTER  
POSTRIBUS  
MAGISTER  
MAGISTER

HABE  
MAGISTER  
MAGISTER  
MAGISTER  
MAGISTER



Handwritten notes in brown ink, including the number "42" and some illegible characters.



## PRAEFATIVNCVLA.



**D**ifficilem adgreditur laborem,  
qui de duodecim postremis  
commatibus in Evangelio  
**MARCI** occurrentibus, tanquam  
parte Novi Testamenti Græci Cano-  
nica,

A 2

nica,

nica, pro dignitate argumenti, vult differere. Dubia enim heic moventur haud exigui ponderis, quæ partim ab Authore libri, partim ab Idiomatico ejus genuino, partim ex Textu ipso, partim denique ex Antiquitatis remotioris pharetra, desumuntur. Nos opellam hanc ita tractabimus, ut obviam eamus difficultatibus, quæ textum nostrum sacrum undique sollicitant, & remotis illis, si fieri possit, per paginas huic dissertationi destinatas, dilucide ostendamus, quam necessaria hæc sit pericopa, in textu evangelico multis omnino ex rationibus asservanda.

Peri-

Pericopa controversa MARCI C. XVI. v. 9. usque  
ad finem capituli extans, ita habet:

- IX. Ἀναστὰς δὲ πρῶτῃ πρῶτῃ σαββάτῃ, ἐφάνη πρῶτον Μαρίᾳ τῇ  
Μαγδαληνῇ, ἀφ' ἧς ἐκβεβλήκει ἐπὶ δαιμόνια.
- X. Ἐκείνη πορευθεῖσα ἀπήγγειλε τοῖς μετ' αὐτῆς γενομένοις, περὶ  
θῆσι καὶ κλαίσει.
- XI. Κακῆνοι, ἀκύναντες ὅτι ζῆ, καὶ ἐθεάθη ὑπ' αὐτῆς, ἠπίσησαν.
- XII. Μετὰ δὲ ταῦτα δυσὶν ἐξ αὐτῶν περιπατήσιν ἐφανερῶθη ἐν  
ἐτέρᾳ μορφῇ, πορευομένοις εἰς ἀγρὸν.
- XIII. Κακῆνοι ἀπελθόντες ἀπήγγειλαν τοῖς λοιποῖς· ἐδὲ ἐκείνοις  
ἐπίστευσαν.
- XIV. Ὑστερον, ἀνακειμένοις αὐτοῖς τοῖς ἑνδεκά ἐφανερῶθη, καὶ  
ὠνείδισε τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν, καὶ σκληροκαρδίαν· ὅτι τοῖς θεα-  
σαμένοις αὐτὸν ἐγηγερμένον οὐκ ἐπίστευσαν.
- XV. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, κηρύ-  
ξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει.
- XVI. Ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς, σωθήσεται· ὁ δὲ ἀπισήσας, κα-  
τακριθήσεται.
- XVII. Σημεῖα δὲ τοῖς πιστεύουσι ταῦτα παρακολουθήσει· Ἐν ᾧ  
ὀνόματι μου δαιμόνια ἐκβαλῶσι· γλώσσαις λαλήσουσι καιναῖς.

XVIII. Ὁφείσιν αἰρεῖσιν καὶ θανάσιμόν τι πείσιν, ἢ μὴ ἀλλὰ βλάψαι ἐπὶ ἀφρώσας χεῖρας ἐπιθήσασιν, καὶ καλῶς ἔξουσιν.

XIX. Ὁ μὲν ἐν Κύριος, μετὰ τὸ λαλήσαι αὐτοῖς, ἀνελήφθη εἰς τὸν ἕρανόν, καὶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τῷ Θεῷ.

XX. Ἐκεῖνοι δὲ ἐξελθόντες ἐκήρυξαν πανταχῶ, τῷ Κυρίῳ συνεργῶντος, καὶ τὸν λόγον βεβαιούντος διὰ τῶν ἐπακολουθούντων σημείων.

Verfio Latina ERASMI SCHMIDII, eaque nova commatum nostrorum, quæ in controversiam trahuntur, hæc est:

IX. Quum surrexisset autem JESUS mane primo die hebdomadis, apparuit primum Mariæ Magdalenaë, ex qua ejecerat septem dæmonia.

X. Illa profecta renunciavit iis, qui cum illo fuerant, lugentibus ac flentibus.

XI. At illi, quum audiissent ex ea ipsum vivere, & visum esse ab ipsa, non crediderunt.

XII. Postea autem duobus ex illis exspatiatis apparuit alia forma, quum rus abirent in Emmaus.

XIII.

XIII. Et illi abierunt, ac renunciarunt reliquis. Sed ne illis quidem crederunt.

XIV. Postremo vero discumbentibus ipsis undecim apparuit, & exprobrauit eis incredulitatem eorum & cordis duriciem, quod illis, qui viderant eum resuscitatum, non credidissent.

XV. Et dixit eis: ite in mundum uniuersum, & prædicate Evangelium omni creaturæ.

XVI. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluabitur: qui vero non crediderit, condemnabitur.

XVII. Signa autem eos, qui crediderunt, hæc consequentur: per nomen meum dæmonia ejicient: linguis loquentur novis:

XVIII. Serpentes tollent: & si letale quid biberint, nequaquam nocebit eis:

eis: ægrotis manus imponent, & bene habebunt.

XIX. Dominus igitur, postquam loquutus esset eis, sursum assumptus est in cœlum, & sedit ad dexteram DEI.

XX. Hi vero egressi prædicarunt ubique, Domino cooperante, & sermonem eorum confirmante per signa subsequencia.

§. I.

**I**nitium dicendorum facimus ab Authore versu-  
lorum nostrorum, qui controversi sunt. Dici-  
tur ille MARCVS, sed sine ulteriori epitheto,  
ut incertum sit scriptionis subiectum, quod libri cu-  
jusdam canonici author esse possit. MARCVM qui-  
dem memorat LVCAS Act. XII. 12. 25. XV. 37. 39.  
MARCVM producit PAVLVS Coloss. IV. 10. 2. Tim.  
IV. 11. Philem. 5. 24. MARCI etiam cujusdam me-  
minit PETRVS I. Epist. V. 13. Quis vero jam addi-  
vinaverit, unum ex hisce confecisse Evangelium,  
quod saltim in inscriptione exteriori τὸ κατὰ Μάρκον  
ἐναγγέλιον adpellatur, & communiter dicitur esse ca-  
nonicum? Esto tantisper, inscriptionem Evangelii  
κατὰ Μάρκον esse veram, certissimum tamen est, eum  
non fuisse Apostolum, in quorum ordine & numero  
ad-



admodum diverso nunquam apparet. Conf. Matth. X. 2. seqq. Marc. III. 14. seqq. Luc. VI. 13. seqq. Act. I. 13. 26. IX. 15. Rom. I. 1. I. Cor. I. 1. 2. Cor. I. 1. Gal. I. 1. Eph. I. 1. Col. I. 1. I. Tim. I. 1. 2. Tim. I. 1. Tit. I. 1. Eum fuisse unum ex numero septuaginta discipulorum Christi, statuunt ORIGENES, EPIPHANIUS, DOROTHEVS *a)*, queis & ex nostratibus nonnulli adstipulantur. Forſan hic MARCVS fuit is, quem non optimæ famæ fuiſſe, pateſcere poſſit ex IRENAEO. *b)* Imo PETRVM Apoſtolum hujus evangelii, cujus commata poſtrema explicatum imus, authorem eſſe volunt TERTVLLIANVS *c)* & HIERONYMVS *d)*, qui, ſi epiſtolas canonicas exaravit, ſine dubio & Evangelium exarare potuit Canonicum. Ulterius aſſeritur, inprimis ab IRENAEO *e)*, MARCVM tantum fuiſſe interpretem PETRI, ut mirum non ſit, eum talia protuliſſe, quæ in Scriptorem canonicum non cadunt, & ſic commata duodecim poſtrema jure ſuſpectiſſima ſint. Sic ratio

*a)* Vid. CALOVII Bibl. Illuſtr. N. T. Tom. I. f. 480.

*b)* L. I. contra Hæreſes C. XIII. XIV. Addi poteſt TERTVLLIANVS de Præſcriptione Hæreticorum C. L. Contra VALENTINIANOS C. IV. de Reſurrectione carnis C. V.

*c)* Adverſus MARCIONEM L. IV. C. V.

*d)* Vid. Catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum C. I.

*e)* L. III. contra Hæreſes C. I.

B

tio reddi potest, cur sine *f*) ordine scripserit, & in textibus nostris reliquis Evangelistis contradixerit, & ex rumore tantum vago exaraverit, præsertim ea, quæ versus finem Capitis decimi sexti comparent, sufficienti motivo credibilitatis destituta, quo etiam alia ejusmodi Evangelia Apocrypha, uti & Liturgia MARCO tributa destituuntur.

## §. II.

Videbimus, quid in recessu habeant allatæ contra Authorem secundarium versuum nostrorum observationes. Egregium id statim esse arbitramur, quod nomen proprium Authoris nostrorum versiculorum, præeuntibus Codicibus Græcis omnibus, dare queamus; quæ oportunitas in omnibus libris Novi Testamenti canonicis haud præsto est. Referatur exempli gratia Epistola ad Hebræos inter libros Novi Testamenti canonicos, & recte quidem referatur, etiamsi nomen Authoris proprium huic epistolæ præfixum non sit. Inscribitur enim illa ut *ἡ πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολή*, abstrahendo ab Amanuensi, quo in ea exaranda usus est Spiritus Sanctus, quapropter notæ sunt de authore hujus epistolæ Eruditorum lucubrationes. Nonnullis enim ille est APOLLO *g*),  
cujus

*f*) Confer EVSEBII Histor. Eccles. L. III. C. XXXIX.

*g*) Inter eos eminet ipse B. LUTHERVS, laudatus quoque a PFIZERO in Diff. cui titulus: APOLLO Doctor Apostolicus p. 40.

ejus elogium elegans habetur Act. XVIII. 24. seqq. Alii cogitant de CLEMENTE *b)* ROMANO, Viro Apostolico, quem IO. ERNESTVS GRABIVS eundem esse voluit, cujus nomen in libro vitæ scriptum Philippensibus scripsit PAVLVVS Capite IV. 3. Video præterea in censum heic venire BARNABAM *i)*, virum pariter apostolicum, de quo varia memoratu digna perhibentur Act. XIII. 1. 2. 46. XIV. 12. XV. 25. 35. I. Cor. IX. 6. Gal. II. 1. 9. Non dicam, quod a quibusdam LVCAS *k)* Evangelista & Actuum Apostolicorum compilator pro authore epistolæ ad Hebræos habeatur, licet communior sententia pro PAVLO *l)* militet, & quidem magna cum veritatis specie militet.

§. III.

Inscriptio MARCI abstrahit utique ab ulteriori ejus epitheto, sed ideo characterem distinctivum Scriptoris canonici non negat. Constans hæc fuit  
anti-

*b)* ORIGENIS hanc sententiam fuisse ex HIERONYMO docet PRITIVS in Introduct. in Lectionem N. T. pag. 48.

*i)* TERTVLLIANVM sic sensisse patet ex ejus Libro de Pudicitia C. XX.

*k)* Ita GROTIVS in Prolegom. in Epistolam ad Hebræos.

*l)* Vide ex multis IOACHIMI LANGII Commentationem Historico - Hermenevticam de vita & epistolis Apostoli PAVLI p. 156. seqq.

antiquæ Ecclesiæ consuetudo, ut libris historicis Novi Testamenti, qualis est Evangelium MARCI, præter nomen Scriptoris nihil de eo præficeret. Hinc habemus τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον, τὸ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγέλιον, τὸ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγέλιον, imo in Actorum Apostolicorum fronte non ubivis LVCAE comparet nomen, sed generalissima hæc πράξεις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων inscriptio adest. Aliter autem visum fuit eidem Ecclesiæ procedere in libris dogmaticis & moralibus, epistolis puta PAVLI, PETRI, IOHANNIS, IACOBI & IVDAE, quæ omnes characterem scriptoris Apostoli exhibent, quemadmodum & libro unico Novi Testamenti prophetico eam dedit inscriptionem, ut intelligatur, Authorem ejus in sensu exochico fuisse Theologum. Inscribitur enim Ἀποκάλυψις Ἰωάννης τῷ Θεολόγῳ, quo prædicato, ut notum est, nonnulli turpiter sunt abusi, ut IOHANNI Evangelistæ & Apostolo apocalypsin abjudicantes, eam vel tribuerint IOHANNI *m*) cognomine MARCO, PAVLI socio, vel IOHANNI *n*), Presbytero Ephesino, qui Nostri fertur fuisse discipulus.

#### §. IV.

- m*) Ratione styli nemini potius, quam MARCO, qui & ipse IOHANNES dictus est, Apocalypsin tribuendam esse BEZA statuit, excitatus a PRITIO l. c. p. 119.
- n*) Ita DIONYSIUS ALEXANDRINUS laudatus à LEONHARDO TWELSIO apud WOLFIVM in Curis Philol. & Crit. P. ultima p. 392.

§. IV.

Abfit jam, ut MARCVS noster, solo nomine proprio in frontispicio Evangelii sui notatus, libri canonici author esse non possit. Percurrenti enim librum ejus, occurrent & dogmata credendorum verissima, & agendorum præcepta sanctissima, & vaticiniorum eventus accuratissimi, & miraculorum divinorum insignis numerus, ut sanctissimi martyres veritates in Evangelio MARCI occurrentes sanguine suo confirmaverint, & ipse DEUS contra violatores verbi sui, cujus Evangelium hoc insignis portio est, vindictam suam gravissimam exercuerit.

§. V.

MARCVM fuisse memoratum & a LVCA, & a PAVLO, & a PETRO, omni dubio caret, neque tamen ea propter rem statim confectam esse ipsimet fatemur, ut noster MARCVS unus ex illis fuerit apodictice. Si unus fuit ex illis, nullum adest impedimentum, quo minus historiam evangelicam instinctu Spiritus S. potuerit concinnare, qui fuit ex familia primorum christianorum Act. XII. 12. & PAVLI socius Act. XII. 25. Col IV. 10. II. 2. Tim. IV. 11. Philem. v. 24. & BARNABAE comes Act. XV. 39. & PETRI filius I. Petr. V. 13. Sic magna pro hac opinione præsto est probabilitas, & remota deprehenditur repugnantia. Si vero non fuit unus ex illis, quid inde? Hi enim non exhauriunt eorum

B 3

nume-



numerum, qui nomine MARCI sunt gavis, nec ideo MARCVS dici debet individuum aliquod vagum, cui Evangelium aliquod canonicum tribui nequeat, cum illud illis gaudeat criteriis, quæ auctoritatem canonicam alicui libro conciliant, uti in præcedenti aphorismo ostendimus, & in numero evangeliorum canonicorum semper, licet diverso ordine, occurrat, & nullius quam MARCI nomen constantissime præ se ferat. Sic rem determinant Codices tam manuscripti, quam impressi, Versiones præterea, & Patres antiqui, ipsis hæreticis non contradicentibus. Graviter o) GROTIUS: "Dicimus scripta, de quibus dubitatum inter Christianos non est, quæque certum nomen præferunt, ejus esse scriptoris, cujus titulo insigniuntur, quia scilicet primi illi, puta IVSTINVS, IRENAEVS, CLEMENS, ac deinceps alii sub his ipsis nominibus eos libros laudant, cui accedit, quod TERTVLLIANVS aliquot librorum ipsa archetypha suo adhuc tempore ait exstitisse, quodque omnes Ecclesiæ illos libros tanquam tales, antequam conventus ulli communes habiti essent, receperunt; neque aut Pagani, aut Judæi unquam controversiam moverunt, quasi non eorum essent opera, quorum dicebantur; IVLIANVS vero aperte etiam fatetur, PETRI, PAVLI, MATTHAEI, MARCI, LVCAE, esse ea, quæ Christiani legunt iisdem nominibus

o) De Veritate Religionis Christianæ L. III. §. II.

minibus inscripta. HOMERI aut VIRGILII esse, quæ eorum dicuntur, nemo sanus dubitat, ob perpetuum de hoc Latinorum, de illo Græcorum testimonium, quanto magis de horum librorum Autoribus standum est testimonio prope omnium quotquot per orbem sunt gentium? „ Adde, quod MARCVS Act. XII. 12. alibi plurimum fuerit hallucinatus, quippe qui PAVLVM ejusque socios deseruerat Act. XIII. 13. atque ἐργον in plantanda Ecclesia Christi missum fecerat, Apostata factus, ut παροξυσμός, exacerbatio sive excandescencia, alio sensu quam Hebr. X. 24. inter PAVLVM, & ipsum eo cum effectu fuerit exorta, ut PAVLVVS tunc comitem itineris & operum sacrorum loco MARCI delegerit sibi SILAM Act. XV. 38. 39. 40. Quo ipso tamen non negatur, PAVLVM cum hoc MARCO postea rediisse in gratiam, quod, observante B. HEDINGERO, *p*) colligitur ex Col. IV. 10. & 2. Tim. IV. 11. Nec coactum esset, huc advocare Philem. *ϕ*. 24. Adde & hoc, quod MARCVS, filius PETRI I. Petr. V. 13. nondum accurate sit determinatus, an fuerit filius PETRI naturalis tantum, an vero spiritualis saltem, an naturalis & spiritualis simul? Filium naturalem admittit B. *q*) BENGELIVS, & spirituale *r*) GERHARDVS. Utamque etiam relatio-

*p*) Ad h. l.

*q*) Gnom. N. T. p. 1026.

*r*) Commentar. in I. Epist. PETRI p. 868.

tionem conjungere non implicat, si reliqua omnia sint paria. Sed versamur in meris probabilitatibus, nec plus requiritur in iis adoptandis, quam ut a contradictione simus liberi, quod hactenus sufficit.

### §. VI.

Interim nemo cogitaverit, tot esse MARCOS, quot dicta §. I. adduximus, in quibus id nomen legitur. Ad duo, uti arbitramur, individua reduci possunt omnia loca ex Actis, & Epistolis PAVLI, & PETRI Epistola allata. De IOHANNE, qui cognomine MARCVS dictus fuit, clara sunt testimonia Act. XII. 12. 25. XV. 37. 39. Eundem innui Coloff. IV. 10. ex eo patet, quia BARNABAS hunc suum consobrinum comitem suum esse voluit in regno Christi amplificando Act. XV. 39. postquam a PAVLO dimissionem hactenus acceperat. Interim, quia reconciliatio inter eos facta fuisse recte asseritur, affirmari potest non sine ratione, eundem & exprimi 2. Tim. IV. 11. & Philem. v. 24. Aliud vero subiectum indigitari 1. Petr. V. 13. cum fundamento quis dixerit, quia IOHANNES, cognomine MARCVS, semper in relatione ad PAVLVM, & qui cum eo erant, nunquam in connexionione cum PETRO sistitur; Filius autem PETRI, quocunque sensu is talis fuerit, tantum in nexu cum PETRO, nunquam cum PAVLO fuisse aperte perhibetur.

### §. VII.



§. VII.

Fricemus adhuc paululum hanc aristam. Evangelistam nostrum diversum esse ab eo, qui Act. XII. 12. extat, statuit GROTIVS, s) motus autoritate veterum, qui nostrum Scriptorem IOHANNEM nunquam, MARCVM semper vocant, & ita PETRO addunt comitem ac discipulum, ut non tantum de BARNABA, sed & de PAVLO, quem IOHANNES MARCVS sectatus est, nihil meminerint. CALOVIUS t) addit, quod IOHANNES ille cognomento tantum MARCVS dictus sit, noster autem nunquam alio, quam MARCI nomine vocetur, & u) WOLZOGENIVS ex EVSEBIO repetit, quod noster, si idem fuit, qui recensetur Act. XII. 12. potius IOHANNES, quam MARCVS vocari debuisset, si proprium eius nomen IOHANNES, cognomentum vero MARCVS erat. Eundem Evangelistam nostrum fuisse, quo de agitur Act. XII. 12. volunt apud CALOVIUM w) THEOPHYLACTVS, EVTHYMIVS, SIXTVS SENENSIS, CENTVRIATORES MAGDEBVRGICI, WINCKELMANNVS, quorum vero rationes ab eo haud sunt in medium allatae.

§. VIII.

s) Præloq. in MARCVM.

t) l. c. f. 479.

u) Opp. Exeget. f. 453.

w) l. c.

C

## §. VIII.

MARCVM nostrum cum esse, cuius facta fuit mentio I. Petr. V. 13. multi conjiciunt, interque eos x) GERHARDVS, & HILLERVS, y) ex eo, quia, ut statim habebimus, MARCVS noster fuit PETRI discipulus, & comes, & interpret, adeo ut ipsius voluntate suam historiam conscripserit evangelicam. Subsidia heic suppeditare possunt EVSEBIVS, EPIPHANIUS, CHRYSOSTOMVS, HIERONYMVS. In alia abit L. z) OSIANDER, ex parte, inquit: "MARCVM Evangelistam intelligendum puto, ubi scriptura mentionem facit MARCI; non autem addit nomen IOANNIS; hic enim MARCVS a PAULO ut fidelis & utilis Ecclesiæ minister paulo ante mortem Apostoli, & a PETRO, ut filius, commendatur." Ex quibus verbis dispalescit, Virum beatum dicta Coloss. IV. 10. 2. Tim. IV. 11. Philem. v. 24. & I. Petr. V. 13. habuisse pro parallelis. Si TOSSANVM a) audias, non adeo alienus is est ab eis, quibus MARCVS noster ille fuit, cuius mentio facta est Act. XII. 12. 25. XV. 37. 39. Coloss. IV. 10. 2. Tim. IV. 11. Philem. v. 24. I. Petr. V. 13.

## §. IX.

x) l. c. p. 869.

y) Onomast. S. p. 876.

z) Epit. Histor. Eccles. Centur. I. p. 56.

a) Prolegom. in MARCVM.

§. IX.

Postremam hanc TOSSANI sententiam multis plausibilem facere voluit, qui simul & GROTIUS respondet, Vir doctus, SALOMO VAN TIL *b*), cujus hæc sunt verba: "MARCUM Evangelistam eundem esse, qui appellatur Act. XII. 12. IOHANNES MARCVS, haud male existimat KIRSTENIUS. Quas GROTIUS dubitandi causas allegat, facile tolluntur. Nam quod veteres scriptorem hunc constanter MARCVM, nunquam IOANNEM appellarint, id factum videri posset, quia ipse PAVLVS IOANNEM MARCVM non nisi sub MARCI nomine designavit Coloff. IV. 10. 2. Tim. IV. 11. Philem. v. 24. Qui itaque tribus illis in locis nomen IOANNIS omisit, quod proinde veteres secuti sunt. Quando dicunt, veteres illum fecisse discipulum & comitem PETRI, cum tamen allegatis in locis etiam PAVLO a ministerio fuit, hoc non efficit, ut sint duo diversi, cum ista omnia facile conciliari possint. Fuerit filius PETRI, id est, discipulus & ab eo conversus 1. Petr. V. 13. Scilicet conversus in initio Evangelii fuit tamen consobrinus BARNABÆ Col. IV. 10. Qui jam Christianus adhæsit BARNABÆ, atque in expeditione BARNABÆ & PAVLI sese dedit comitem Act. XII. 25. Nihilominus ab istis decesserat, cum essent in Pamphylia. Unde

*b*) Oper. Analyt. T. II. p. 414.

lis nata est inter PAVLVM & BARNABAM, qui postmodum singuli res suas curabant, atque tunc adhæsit MARCVS BARNABAE, Cyprum adeunti cum Evangelio Act. XV. 35-39. Abhinc absoluta ista expeditione, potuit a PETRO assumi comes, quando in Asia minori Evangelium prædicabat circumcisis, quia PETRVS in priori Epistola Judæos, per Asiam minorem dispersos, ejus nomine salutatur I. Petr. V. 13. Quod autem postmodum in prima PAVLI captivitate Romæ fuerit, patet ex locis in duabus epistolis allegatis Coloss. IV. 10. Philem. v. 24. Sed ita, ut ex Epistola ad Colossenses manifesto pateat, stetisse in procinctu ad visitationem Ecclesiarum Asiaticarum, ut totum illud iter Romanum MARCI concipi debeat nomine PETRI susceptum ad PAVLVM, quocum de rebus regni Christi conferat. Manet itaque, illum tempore legationum Apostolicarum medio & ultimo potuisse comitem esse PETRI., Assensum per nos his præbeat, qui voluerit, & momentum hoc sine ulteriori examine eodemque accurato dimittat imprimis chronologico; nobis non licet heic a Posse argumentari ad Esse, ut tutissimum reputemus, rem relinquere in medio, quod ipsum & post c) HEIDEGGERVM fecit FABRICIVS. d)

## §. X.

c) Enchirid. Biblic. p. 466.

d) Biblioth. Græc. L. IV. C. V. §. III.

§. X.

Authorem Evangelii nostri fuisse Apostolum, nemo unquam, quantum scimus, somniavit. Apostolorum enim enumeratio nullibi exhibet MARCVM, licet de cætero ea multum variet. Nam apud *e)* MATTHAEVM habentur SIMON PETRVS & ANDREAS: IACOBVS & IOHANNES: PHILIPPVS & BARTHOLOMAEVS: THOMAS & MATTHAEVS: IACOBVS ALPHAEI & LEBBAEVS: SIMON CANANITES & IVDAS ISCARIOTA. In MARCO *f)* occurrunt SIMON PETRVS & IACOBVS, & IOHANNES, & ANDREAS, & PHILIPPVS, & BARTHOLOMAEVS, & MATTHAEVS, & THOMAS, & IACOBVS ALPHAEI, & THADDAEVS, & SIMON CANANITES, & IVDAS ISCARIOTES. In historia Evangelica *g)* LVCAE leguntur SIMON PETRVS & ANDREAS: IACOBVS & IOHANNES: PHILIPPVS & BARTHOLOMAEVS: MATTHAEVS & THOMAS: IACOBVS ALPHAEI & SIMON ZELOTES: IVDAS IACOBI & IVDAS ISCARIOTES. Apud eundem *h)* historicum sacrum alibi recensentur PETRVS & IACOBVS & IOHANNES & ANDREAS: PHILIPPVS porro & THOMAS, quos sequuntur  
BAR-

*e)* C. X. 2. seqq.

*f)* C. III. 14. seqq.

*g)* C. VI. 13. seqq.

*h)* Actor. I. 13.

BARTHOLOMAEVS & MATTHAEVS, IACOBVS ALPHAEI, SIMON ZELOTES, & IVDAS IACOBI. Hisce addendi sunt tam MATTHIAS, quam PAVLVS. Percurrenti etiam varietatem lectionum Græcarum, quæ in enumeratione Apostolorum perquam est exigua, patebit, inter Apostolos hic & nunc legi diversitatem, sed MARCVM ne semel quidem ibi obvium esse, est extra controversiam.

§. XI.

Neque tamen ideo cum Auctore evangelii nostri actum est, quia is non fuit Apostolus. Nam LVCAS etiam non fuit Apostolus, & tamen ipsius Evangelium jure inter libros canonicos suum obtinet locum, eo magis, quia Author ejus præ Apostolis iisque Evangelistis leges ordinis sibi habuit commendatissimas, quippe qui THEOPHILO suo ἀνωθεν & ἀκριβῶς, & ut ἀσφάλειαν acquireret, scripto communicavit, quæ ad ipsum exaraverat. Scilicet ad solos Apostolos facultas conscribendi historiam evangelicam nullibi dicitur esse restricta, hinc AVGVSTINVS *i)* recte scripsit: “MARCVS & LVCAS Apostolorum non pares, sed supparet fuerunt. Ideo jam voluit Spiritus S. etiam ex his, qui inter duodecim non fuerunt, eligere ad Evangelium conscribendum duos, ne putaretur gratia evangelizandi usque ad Apostolos pervenisse, & in illis fontem

*i)* Sermon. 146. de Tempore.

tem gratiæ defecisse. „ Eodem fine sequentia legimus apud *k)* CHEMNITIVM: “ Quod MARCVS & LVCAS, qui non fuerunt Apostoli, ad scribendum Evangelium divinitus vocati sunt, AVGVSTINVS hanc reddit rationem, ne putaretur, quod attinet ad prædicandum & percipiendum Evangelium, interesse aliquid, utrum illi annuncient, qui Dominum hic in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt, an hi, qui ex his fideliter comperta crediderunt, divina providentia procuratum est per Spiritum S. ut quibusdam etiam ex illis, qui primos Apostolos sequebantur, non solum annunciandi, verum etiam scribendi Evangelium tribueretur auctoritas. Et huc pertinet altera AVGVSTINI sententia: Eo tempore scripserunt, quo non solum ab Ecclesia Christi, verum etiam ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari meruerunt. „

§. XII.

Qui locum MARCO nostro largiuntur inter LXX. Discipulos, quos Servator ad annunciandum in Judæa Evangelium emiserat, optima id faciunt intentione. Nam hi viri, *l)* divina instructi auctoritate, & Evangelium de Christo prædicabant, & miraculis illud confirmabant. Sed quis novit illorum nomina propria? LVCAS ea non expressit,  
&

*k)* Examin. Concilii Tridentini f. 48.

*l)* Luc. X. 1. seqq.

& reliqui tres Evangelistæ de illa legatione plane nihil recensent, hinc recte fecerunt laudati Patres, si & crediderunt, MARCVM nostrum non necessario habendum esse pro uno ex illis septuaginta discipulis. In catalogo eorum, qui DOROTHEVM *m)* TYRIVM authorem habere dicitur, multi errores occurrunt, qui successu temporis detestandum in modum propagati sunt, & ex charta scribuntur in papyrum. Notante D. *n)* HEVMANNO ex BLONDELLO commemorat DOROTHEVS inter septuaginta discipulos PHYGELLVM & HERMOGENEM, non recordatus, à PAVLO 2. Tim. I. 15. eos nominari inter apostatas. Nominatum Phil. IV. 22. cæsarem refert inter septuaginta illos discipulos, non videns, indicari ibi Cæsarem NERONEM. EVODVM finxit ex EVODIA Phil. IV. 2. memorata. Horum exemplorum inductiones non faciunt ad commendationem sententiæ de MARCO Evangelista, uno ex septuaginta discipulis. Præstat ergo & heic, suum suspendere iudicium, cum cardo rei in hoc minime vertatur, quod MARCVS Evangelista non Apostolus, ideo debuerit unus esse ex septuaginta Christi discipulis, si Spiritui S. placuit, eo uti tanquam amanuensi in conscribendo Evangelio canonico.

## §. XIII.

*m)* Vid. L. OSIANDRVM l. c. p. 57. seqq.

*n)* Diss. de Septuaginta Christi Legatis p. 21.



§. XIII.

IRENAEVS o) prolixè admodum sistit MARCVM quendam hæresiarcham, qui inter alia philtis ad corrupendas mulieres utebatur, ditiores præsertim & elegantiores seducebat, vanam doni prophetici spem eis injiciebat, vinum evcharisticum in verum sanguinem meris præstigiis convertere se fingebat, mulieribus consecrandæ evcharistiæ munus committebat, dæmonem quendam assessorem habebat, & virtutem in Jesum descendentem sub specie columbæ semen Patris dicebat, qui ante adultam IRENAEI ætatem, docente GRABIO, hæreseos virus sparserat, & à laudato GRABIO jure & alibi notatus fuerat. Impostorem hunc piæ mulieres fugiebant & detestabantur, ejusque fraudes atro lapillo notatæ sunt ita, ut Senior quidam, quem veritatis præconem appellavit, ἐμμέτρως ipsi acclamaverit:

Ἐιδωλοποιὲ Μάρκε, καὶ τερατοσκόπε,  
Ἄστρολογικῆς ἔμπειρε καὶ μαγικῆς τέχνης,  
Δι' ὧν κρατύνεις τῆς πλάνης τὰ διδάγματα,  
Σημῶα δεικνύς τοῖς ὑπό σε πλανωμένοις,  
Ἀποσατικῆς δυνάμεως ἐγχειρήματα,  
Ἄ σὺ χορηγεῖς ὡς πατὴρ Σατανᾶ, εἰ  
Δι' ἀγγελικῆς δυνάμεως Ἄζαζήλ ποιῆν  
Ἐχων σὲ πρόδρομον ἀντιθέου πανουργίας.

Versus

o) L. I. Contra Hæreses C. XIII. XIV. XV.

D

Versus hos **BILLIVS** ita est interpretatus: **MARCE**, idolorum architecte, & portentorum observator, Astrologicæ & magicæ artis perite, per quas falsis, & cum errore conjunctis doctrinis robur concilias, his, qui à te seducuntur, facinora apostaticæ virtutis pro miraculis ostendens, quorum edendorum facultatem pater tuus **Satanas** tibi suppeditat, per angelicam virtutem **Azazelis**, ut qui te nefariæ, atque impiæ versutiæ præcursorem nactus sit.

#### §. XIV.

Ea vero, quæ hætenus de Hæresiarcha **MARCO** dicta sunt, ingenium Evangelistæ **MARCI** in scripto suo canonico manifestatum nequaquam spirant, ut pura puta calumnia sit, nostrum Scriptorem sacrum cum isto homine pessimo confundere, quem **IRENAEVS** *p)* ex justo zelo vocavit præcursorem Antichristi. Deo etiam debentur grates, quod mulieres quædam, ab hoc **MARCO** hæretico ad Ecclesiam, quæ reversæ sunt, in publico exomologesi fecerint, plangentes & lamentantes. **CHEMNITIVS** *q)* salutarem hanc quarundam mulierum conversionem commemorans, addit: “quid vero fuerit ἐξομολόγησις veterum, **TERTULLIANVS** explicat in libro de pœnitentia. Is, inquit, actus confessionis, qui magis Græco  
Voca-

*p)* l. c. f. 60. ex Editione **MASSVETI**.

*q)* l. c. f. 722.

vocabulo exprimitur & frequentatur, Exomologesis est, quia delictum Domino nostro confitemur, non quidem ut ignaro, sed satisfactio confessione disponitur, confessione poenitentia nascitur, poenitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi & humiliandi hominis disciplina est, conversionem injungens misericordiae illicem. De ipso quoque habitu & victu mandat, sacco & cineri incubare, animum mœroribus dejicere, jejuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, mugire dies noctesque ad Dominum, presbyteris advolvi, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere.,,

§. XV.

TERTULLIANVS illis accedat, qui Petrum evangelii, quod MARCO tribuimus, authorem esse statuunt. Nos non ita, queis & aliæ hallucinationes r) TERTULLIANI notæ sunt. HIERONYMVS affirmet, Evangelium juxta MARCVM PETRI dici Evangelium. Quid inde? Novimus rumore, MARCVM omnia non modo nutu PETRI scripsisse & egisse, sed & PETRVM huic Evangelio testimonium perhibuisse

r) Statuit nimirum TERTULLIANVS inter alia, animam humanam esse corpoream, & subordinationem dari inter personas SS. Trinitatis, & liberum arbitrium suis viribus agere in rebus spiritualibus.

buisse, ecclesiisque id commendasse. Interim nemo negaverit, PETRUM, qui duas, non tres, conscripsit epistolas catholicas, etiam Evangelium canonicum potuisse conscribere, cum IOHANNEM Evangelistam & Apostolum adhuc plura præstitisse constet, cujus utimur & Evangelio, & tribus Epistolis, & Apocalypsi.

### §. XVI.

Quod MARCVS PETRI interpretis tantum, prætereaque nihil fuerit, IRENAEVS s) nullibi dixit, & quod haud idoneus haberi debeat, qui historiam Evangelicam de vita, doctrina & miraculis Christi exaraverit, ex antiquitatibus primitivæ Ecclesiæ Novi Testamenti in æternum non probabitur. Provocamus ad testimonia de MARCO EX PAPIA, IRENAEO, CLEMENTE ALEXANDRINO, EVSEBIO, SOPHRONIO, HIPPOLYTO, DOROTHEO, & THEOPHYLACTO magno studio collecta à MILLIO. t)

### §. XVII.

Quæ de PETRO evangelii nostri vel authore, vel MARCO PETRI interprete adducuntur, aliqua ambiguitate laborare videntur. Quæ si è medio fuerit

s) L. III. Contra Hæreses C. I.

t) N. T. G. f. 69.

rit sublata, clarum fiet, minus recte dicta benignam  
 admittere interpretationem. Hac jam intentione  
 scripsit B. LUCAS *u)* OSIANDER: "MARCUS, quod  
 EX PETRO audierat, literis fideliter consignavit.  
 Quare cum legimus MARCI Evangelion, sciamus,  
 nos audire Apostolum PETRUM, qui oculatus testis  
 fuit, referentem res gestas Christi., - Huc etiam ten-  
 dere videtur CHRISTOPHORVS *w)* STARCKIUS, de  
 Evangelio MARCI inquires: "Zwar ist es von eini-  
 gen das Evangelium St. PETRI genandt worden,  
 nicht aber in dem Verstande, als hætten PETRVS  
 dem MARCO es in die Feder dictiret, noch vielwe-  
 niger, als hætten PETRVS selber es geschrieben;  
 sondern weil es ihrem Bedüncken nach aus PETRI  
 Predigten und Geschichts-Erzählungen von Christo  
 genommen worden.,, Sic intelligere omnino pos-  
 sumus verba *x)* IRENAEI: Μετά δὲ τὴν τέτων ἔξοδον Μάρ-  
 κος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρος καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρος  
 κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. Hinc & illud ca-  
 pere licet, cur MARCUS multa omiserit de PETRO,  
 quæ PETRVS ex modestia in concionibus suis Ro-  
 mæ habitis silentio præteriit, & à MATTHAEO an-  
 notata sunt, verbi gratia *y)* de PETRO in mari am-  
 bu-

*u)* Comment. in N. T. f. 110.

*w)* Vid. Synopsis Bibliothecæ Exegeticæ in N. T. p. 704.

*x)* L. III. Contra Hæreses C. I.

*y)* C. XIV. 29.

bulante, de z) ædificanda super petram ecclesia, occasione confessionis Petrinæ de Christo Filio Dei viventis, a) de statere à PETRO in pisce, quem capturus erat, inveniendo, & pro Christo & se, jussu illius, dando, b) de acerbis PETRI pœnitentis lachrymis. c)

### §. XVIII.

Falluntur, qui vitium confusionis in scribendo MARCO objiciunt. Exhibet is concinno satis ordine & præcursorem Messiæ & Messiam ipsum. Messiam sistit in doctrina & miraculis omni elogio superiorem. Dein progreditur ad ejus passionem, mortem & sepulturam. Absoluto ejus statu humiliatio- nis transit ad ejus exaltationem, & commemorat ejus resurrectionem, & varias redidivi Servatoris adparitiones, & ascensionem, & sessionem ad dextram Dei, atque ita imponit toti suo Evangelio colophonem de Apostolis voluntatem heri sui exsequentibus, & Evangelium de regno Dei obtinendo ubique prædicantibus.

### §. XIX.

z) C. XVI. 16. seqq.

a) C. XVII. 27.

b) C. XXVI. 75.

c) Conf. Magnifici DN. Cancellarii nostri, D. PFAFFII Syntagma Dissertationum p. 47.

§. XIX.

MARCVM in versiculis nostris duodecim controversis aliis contradixisse Evangelistis virulento modo dicitur, ut opus sit, ad talia respondere dubia. Ita MATTHAEVS *d)* scribit, vespere sabbathi illucescente in unam sabbathi, Dominum surrexisse, & MARCVS mane ejus resurrectionem factam esse commemorat. Ita LVCAS *e)* perhibet, undecim Apostolos veritatem resurrectionis Christi agnovisse, quum discipuli Emmauntici illis redivivum annuntiarent Servatorem; sed MARCVS recenset, quod congregati Christi discipuli ne his quidem eorumque relationi fidem adhibuerint. Ita IOHANNES *f)* testatur, THOMAM à collegis die resurrectionis abfuisse, cum Christus se præsentem illis sisteret, ut saltem decem Apostoli tunc congregati fuerint, quos tamen MARCVS vocavit undecim, & vocare eos debuisset tantum novem, si PETRVS alter ex Emmaunticis fuit, queis Servator se manifestavit in fractione panis, non in administratione Evcharistiæ.

§. XX.

Prima autem difficultas tollitur, si verba MATTHAEI rite vertantur, quod Christus resurrexerit  
post

*d)* C. XXVIII. 1.

*e)* C. XXIV. 34. 35.

*f)* C. XX. 24.

post sabbathum, quia ὅψε cum casu secundo præ-  
 positionis naturam induit, & non modo id signi-  
 ficat, quod sero fit, sed quidquid ordine temporis  
 est posterius. Hanc significationem vocis ὅψε ex  
 PLVTARCHO laudavit g) GROTIUS, & ex PHILOSTRATO  
 b) STOCKIUS. Hoc pacto MATTHÆVS narrat de  
 Servatore, quod peracto sabbatho, illucescente se-  
 quente die victor exierit è sepulchro, quod & MAR-  
 CVS affirmat, quod διαγενομένης τῆ σαββάτου, & λίαν πρωί, & ἀνα-  
 τεύλωντος τῆ ἡλίου propria virtute resurrexerit. Secun-  
 da difficultas evanescit, si verba in LVCA interroga-  
 tive capiantur: An revera surrexit Dominus, &  
 SIMONI apparuit? quia particula ὅτι subinde vim in-  
 terrogandi habet. Matth. XVII. 10. Marc. IX. 11. 28.  
 Testimonia hanc in rem ex PLVTARCHO & CHRYSOSTOMO  
 dedit i) RAPHELIUS. Hac interrogatione dubiam ad-  
 huc valde suam de facta resurrectione Christi mentem  
 exponunt undecim, & qui cum ipsis erant, de qui-  
 bus MARCVS jure testatur, quod fidem Emmaunti-  
 cis non habuerint; qui præterea non omnibus illis  
 in universum ἀπισίαν tribuit, sed indefinite prorsus  
 loquitur, & nec sic quidem dissentit à LVCA, posito  
 quod ὅτι vim interrogandi heic non habeat, sed asser-  
 tionem & resurrectionis & apparitionis Christi ex-  
 hibeat,

g) Ad h. l.

b) Clav. Linguae S. Novi Testamenti p. 769.

i) Annot. Philol. in N. T. ex POLYBIO & ARRIANO  
 collectis p. 139.



hibeat, dum *LUCAS* omnibus & singulis hoc elegans agnitæ resurrectionis & manifestationis Christi testimonium haud dederit. Tertia difficultas superatur, si observaverimus, post suspendium *IVDAE* generale fuisse nomen Apostolorum, ut vocarentur *k)* undecim, etsi unus deesset, id quod in absentem eo tempore *THOMAM* bene quadrat, cum *MARCUS C. XVI. 14.* hoc respectu postremam apparitionem ipso resurrectionis dominicæ die factam undecim commemoret, a quo in hoc tertio non dissentit *LUCAS C. XXIV. 33.* *PETRVM* interim alterum fuisse ex discipulis Emmaunticis, gratis asserit *l)* *LIGHTFOOTVS*; alter enim Emmaunticorum contradistinguitur *Luc. XXIV. 33. τοῖς ἑνδεκά*, ad quos sine dubio pertinebat *PETRVS*.

§. XXI.

Gravissima imputatio est, *MARCVM* historiam suam evangelicam scripsisse ex rumore duntaxat vago, cujus rei ne unica probatio allata est ab adversariis. Hoc de ipso *PAPIAS* affirmavit apud *EVSEBIVM, m)* quod Dominum ipsum non audiverit, sed ex eo vagus saltim rumor probari nescit, eo minus,

*k)* Adde *RVSII* Harmon. Evangelistarum T. III, p. 1506.

*l)* Ad h. l.

*m)* Hist. Eccles. L. III. C. XXIX.

minus, quia authoritas PAPIAE fere nulla est, quippe qui homo fuit credulus, & mascula iudicandi facultate destitutus. LUCAS profecto testatur<sup>n)</sup>, plures manum admovisse operi, ut narrationem earum rerum componant, quarum plena fides ipsis facta sit. Quis vero ab his absolute excluderit MARCVM? & si is testis fuerit auritus, non quidem Christi, sed primorum Christianorum, annon etiam suam fidem meretur testis auritus, o) sicut oculatus?

### §. XXII.

Sufficientissima credibilitatis motiva pro Evangelio MARCI divinitus inspirato eodemque canonico supra jam dedimus §. IV. quæ repetere nolumus. Si vero quis ea velit conferre cum Evangeliiis apocryphis, qualia SVICERVS <sup>p)</sup> recensuit Evangelium PETRI, Evangelium THOMAE Manichæi, Evangelium secundum HEBRAEOS, Evangelium PHILIPPI, Evangelium EVAE, Evangelium secundum AEGYPTIOS, Evangelium MATTHIAE, Evangelium IVDAE, Evangelium NICODEMI, hisque FABRICIVS <sup>q)</sup> addidit Evangelium Nativitatis

<sup>n)</sup> C. I. v. 1.

<sup>o)</sup> Conf. 1. Joh. I. 1.

<sup>p)</sup> Thesaur. Ecclesiast. T. I. f. 1223. seq.

<sup>q)</sup> Codic. Apocryph. N. T. P. I. p. 19. seqq. P. III. p. 373. seqq.

MARIAE, Protevangelium IACOBI, Evangelium  
 INFANTIAE, Evangelium BARNABAE, Evangelium  
 ANDREAE, Evangelium APPELLIS, Evangelium  
 ARAMI, Evangelium BARTHOLOMAEI, Evange-  
 lium BASILIDIS, Evangelium CARPOCRATIS, Evan-  
 gelium CERINTHI, Evangelium EBIONITARVM,  
 Evangelium ENCRATITARVM, Evangelium GNO-  
 STICORVM, Evangelium IVDAE Iscariotæ, Evan-  
 gelium LEVCII, Evangelia MANICHAEORVM,  
 Evangelium MARCIONIS, Evangelium S. PAVLI,  
 Evangelium SIMONIANORVM, Evangelium TIMO-  
 THEI, Evangelium VALENTINI, statim deprehen-  
 dit comparationem Evangelii MARCI cum hisce  
 evangeliis adulterinis esse nullam, quemadmodum  
 & ejus comparatio cum Liturgia MARCI pariter  
 a FABRICIO r) communicata prorsus est nulla.

§. XXIII.

Dubia, quæ Authorem versiculorum nostrorum  
 secundarium tangunt, videntur esse ex medio sub-  
 lata. Progredimur ergo ad Idioma, quo is usus  
 est in exaranda historia sua evangelica, proinde & in  
 fine ejus, quem pertractandum in nos suscepimus.  
 Nostra sententia idioma genuinum MARCI fuit  
 Græcum, dissentientibus aliis, qui linguam MARCI  
 originalem volunt fuisse Latinam, ita, ut postea  
 ex

r) l. c. P. III. p. 253. seqq.

ex Latina in Græcam linguam demum fuerit conversum ejus Evangelium. Quod si ita fuerit, Translatio aliqua a nobis venditatur pro ipso fonte, eo-que ipso a tramite veritatis plurimum deflectimus.

§. XXIV.

Ex illis, qui causam hanc in se defendendam susceperunt, memoramus BARONIVM, qui magno cum apparatu hypothesin suam exposuit, & duplici armorum genere hac in pugna literaria instructus incessit. Utitur Cardinalis Authoritatibus, utitur idem Rationibus, & nihil fere intactum relinquit, quod præcipue hoc in argumento commemorari meretur.

§. XXV.

Principio s) BARONIVS observat, dubitatum esse a pluribus, Græcene, an vero Latine scripserit MARCVS suum Evangelium? Deinde producit librum veterem de Romanis Pontificibus, qui nomine DAMASI circumfertur, & MARCVM Latino fermone Evangelium suum scriptis mandasse, non obscure significat. Postea contendit, quod Græci & Syri in eam sententiam videantur fuisse procliviores.

s) Annalib. Eccles. T. I. f. 390. ad Annum Christi 45.  
§. XXXVIII.

res. Addit his GREGORIVM NAZIANZENVM, qui testetur, MARCVM Italis scripsisse Evangelium, hosque hac de re subjunxit versiculos:

MARCVS at Aufoniæ Christi miracula genti  
Hæc memorat, PETRI nixus sermone fideque.

§. XXVI.

A via authoritatis progreditur Cardinalis ad viam ratiociniorum, & ait: †) "Suadet hoc ipsum ea potissimum ratio, quod MARCVS, cum esset interpres PETRI, si in gratiam Romanorum, quod habetur exploratissimum, Evangelium scripsit; quænam suberat causa, ut Græce potius, quam Latine scriberet? cum præsertim TIBERII Imperatoris autoritate & exemplo eadem Græca Lingua Romæ apud optimos jam exolesceret, & Latina, Græca postposita, principem locum sibi in omnibus vendicaret: nam & CLAVDIVS Imperator, sub quo a MARCO scriptum est Evangelium, non tantum non permisit Romanis Græco aliquando loqui sermone; sed & Græcum hominem, Latini prorsus sermonis ignarum, Græce loquentem, magistratus abdicatione damnavit.

§. XXVII.

†) l. c. §. XXXIX.

E 3

## §. XXVII.

His præmissis urget BARONIVS, nec omnes ipsos Romanos *u)*, qui Græcorum provinciis administrandis præficiébantur, calluisse Græcorum linguam, magisque fuisse consentaneum, ut MARCVS Romanis scripturus Evangelium Romana lingua, non Græca usus fuerit. Præterea, *w)* pergit: “si MARCVS ex PETRI prædicatione, quod excepit Evangelium, scripsit: cum certum sit, PETRVM Romanos homines non nisi lingua Romana esse allocutum: quomodo esse potuit, ut quæ Latine dicta audiebat, Latinis scribens, Græce potius describeret, cum alioqui, etiamsi PETRVS alio idiomate, puta Græco vel Hebraico usus esset, quod ipse munere fungeretur interpretis, Latina illa reddere debuisset? Interpretis enim munus est, ea, quæ peregrina lingua dicta sunt, in ipsorum linguam, quorum gratia munus subiit, quam facillime potest, reddere.”

## §. XXVIII.

Nondum absolvit discursum suum BARONIVS, hinc sequentia subjungit: “Ad hæc insuper alia ratione prudens Lector, qui Græcas litteras calleat,  
in-

*u)* l. c. §. XL.

*w)* l. c. §. XLI.

intelliget, MARCV M scripsisse Latine. Nam si Græcum ejusdem Evangelii textum exacte disquirat, reperiet in eo, esse nonnullas Græcas voces improprias, quas cognoscet ex Latino Originali esse in Græcum semilatine translatas; quas singulas enumerare, non est præsentis vel instituti, vel otii, præsertim cum eas GVILIELMVM SIRLETVM, Cardinalem Bibliothecarium adnotasse sciamus. His igitur prope necessariis rationibus non solum suademur, sed obstricti ferme devincimur, atque plane cogimur affirmare, Evangelium MARCI ab eo Latine potius, quam Græce esse conscriptum. Fertur traditione magis, quam antiquorum certo testimonio, ipsum MARCV M Evangelium suum, quod Romæ Latine scripserat, cum Aquileiæ moraretur, missus illuc a PETRO ad eam erigendam Ecclesiam, in Græcum transtulisse, ipsumque Originale Aquileiæ diutius asservatum, Venetias demum esse translatum.,,

§. XXIX.

Annotabimus ad hæc BARONII dicta, quæ dicenda esse videntur. Fallitur ab initio statim Cardinalis, quod a plerisque dubitatum sit, Græcene, an vero Latine Evangelium suum scripserit MARCVS? eo quod nemo ex veteribus adduci potest, qui hac de re dubitavit, multoque minus, qui asseveravit, MARCV M Latine scripsisse. Si a plerisque hac de re dubitatum fuit, cur ista exempla non in  
medium

medium protulit BARONIUS? Expectamus proinde illa adhuc ab illis, qui se affectas BARONII profitentur. Dissentiunt autem hoc in negotio a BARONIO SIMONIUS, MALDONATUS, SIXTUS SENENSIS, BELLARMINUS, alii. x)

### §. XXX.

Quod concernit DAMASVM illum, si non fuit Psevdo-DAMASVS, in vita PETRI is ait: y) "Hic scripsit duas Epistolas, quæ catholicæ nominantur, & Evangelium MARCI, quia MARCVS auditor ejus fuit, & filius de baptismo, quæ post omnem quatuor Evangeliorum fontem, quæ ad interrogationem & testimonio ejus, hoc est PETRI formata sunt, dum alius (MARCVS) Latine, aliusque (LV-CAS) Græce, & alius (MATTHÆVS) Hebraice consonant, tamen ejus testimonio sunt firmata.,, Miramur, unicum hunc eumque suspectissimum a BARONIO adduci testem, de quo alibi perhibuerat: "Quæ fertur z) nomine DAMASI breviter texta series Romanorum Pontificum, alterius potius, quam ipsius esse opus, alibi diximus, ac sæpe inculcavimus.,,

### §. XXXI.

x) Conf. MAII Repetitum Examen Hist. Crit. N. T. contra SIMONIUM, p. 130.

y) Vid. FABRICII Bibl. Græc. L. IV. C. V. p. 131. nota d.

z) l. c. T. IV. Ad Annum Christi 384. N. XV.



§. XXXI.

Leges veritatis migravit BARONIVS, afferendo, quod Græci & Syri in eam sententiam fuerint procliviores, quæ pro idiomate MARCI Latino pronunciat. Unicum ex Græcis allegat GREGORIVM NAZIANZENVM, de quo mox, sequenti aphorismo, dicemus, plures non excitavit, quorum testimonia a sectatoribus BARONII adhuc expectamus, quoniam in plurium numero provocavit ad Græcos Cardinalis. De interprete Syro constat, quod subscriptio totius Evangelii a MARCO concinnati in sermonem conversa Latinum ita *a)* habeat: "Absolutum est Evangelium sanctum, Evangelium MARCI, qui locutus est & evangelizavit Romane Romæ., At aliud sine dubio est, MARCVM Latine Evangelium prædicasse, & aliud, eum lingua Latina historiam Evangelicam scripto consignasse. Non monebo, observatum esse, quod *b)* subscriptio illa ætatem ipsius Versionis Syriacæ haud attingat.

§. XXXII.

GREGORIVS NAZIANZENVS *c)* Carmen, quo decantavit Christi miracula secundum MARCVM, sic inchoavit:

*Μάρκος*

*a)* Vid. DE DIEV ad h. l.

*b)* Conf. STARKIVM l. c. p. 706.

*c)* Vid. Opp. T. II. f. 103.

F



Μάρκος δ' Ἀυσονίοισι Θεῶ τὰδε θαύματ' ἔγραψε,  
Πέτρῳ θαρσαλέος Χριστὸς μεγάλῳ θεράποντι.

Et in alio *d)* loco haud obscure innuisse dicitur, MARCVS in Italia Evangelium prædicasse. Quis vero æquo animo ferat hanc illationem, MARCVS Latinis divina miracula conscripsit, & Italis Evangelium annuncia- vit, ergo idiomate etiam Latino usus est in confici- enda sua historia Evangelica?

### §. XXXIII.

Quæ de MARCO interprete PETRI proferun- tur, multum præsidii in antiquitate patristica reposi- tum habent. *e)* IRENAEVS ita: Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρ- μηνευτὴς Πέτρῳ, καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρῳ κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. PAPIAS apud EVSEBIVM *f)* inquit: “Etiam hoc presbyter narrabat, quod MARCVS interpres fuerit PETRI, & quæcunque meminerat ab eo dicta, conscripserit. Non tamen per ordinem ea, quæ a Domino dicta sunt vel facta, digesserit, quia non ipse auditor Domini fuerit vel sectator, sed novissime PETRO adhæsit ad usum ac ministe- rium prædicandi, non ad conscribendos Domini sermones. Itaque nihil peccavit MARCVS in eo, quod ita quædam scripserit, quasi qui sparsim audi-  
ta

*d)* l. c. T. I. f. 438.

*e)* L. III. Contra Hæreses, c. I.

*f)* l. c.

ta recordari videatur. Et hoc solum satis egit, ne quid ex auditis omitteret, aut aliquid falsum scriberet., TERTULLIANVS g) aperte MARCVM PETRI interpretem vocat, & CLEMENS h) ALEXANDRINVS apud EVSEBIVM mentem suam sic exposuit: "Cum Romanæ urbi clarum verbi DEI lumen fuisset exortum, SIMONIS quidem tenebræ cum suo autore restinctæ sunt. Sermo autem veritatis & lucis, qui per PETRVM prædicabatur, universorum mentes placido illustravit auditu, ita, ut quotidie audientibus eum, nulla unquam satietas fieret. Unde neque auditio eis sola suffecit, sed MARCVM discipulum ejus omnibus precibus exorant, uti ea, quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam, scripturæ traderet, quo domi forisque in hujuscemodi verbi meditationibus permanerent. Nec prius ab obsecrando desistunt, quam quæ oraverant, impetrarent. Et hæc fuit causa scribendi, quod secundum MARCVM dicitur Evangelium.,

§. XXXIV.

Sententia de MARCO PETRI interprete rite intellecta nobis haud refragatur. Habuit PAVLVS  
suos

g) Adversus MARCIONEM L. IV. C. V.

h) Hist. Eccles. L. II. C. XV.

suos scribas, *i*) quis illi ejusque Collegis interque eos & PETRO abjudicaverit interpretes, queis usi sunt veluti discipulis ad mandata sua & dogmata absentibus perferenda, sive scripto, quod affirmavit IRENAEVS, sive ore & scripto simul, quod testati sunt PAPIAS, & CLEMENS ALEXANDRINVS. Modo hoc MARCI velut interpretis PETRI munus non eo usque extendatur, quasi PETRVS ob mancā linguarum cognitionem interprete opus habuerit. Rectius hac in re suas BARONIVS exposuit conjecturas. In serviebant, *k*) inquit, "Apostolis interpretes, vel cum alicui genti ipsis loquentibus, puta Romanis in auditorio essent alii, qui Latinum sermonem, quem illis loquerentur Apostoli, penitus ignorarent. Vel cum captu difficilia iidem Apostoli locuti fuissent, tunc erat interpretis, eadem explanare. His etiam addere possumus interpretationem Apostolicarum Epistolarum; nam licet ad unam vel aliam illæ darentur Ecclesiam, opera tamen interpretum communes omnibus reddebantur., Ex his, qui conficere voluerit, MARCVM Evangelium suum Latine exarasse, manifestum committet paralogismum, erudito quovis indignissimum.

## §. XXXV.

*i*) Exemplum præbere possit TERTIVS Rom. XVI. 22.

*k*) l. c. T. I. Ad Annum Christi 45. §. XXXVII.

§. XXXV.

Sit ita, quod in Romanorum gratiam Evangelium suum conscripserit MARCVS, eapropter tamen Latina lingua in eo conficiendo non est usus. Author epistolæ ad Hebræos idiomate hebraico ideo non est usus, quia scripsit ad Judæos, nec IACOBVS duodecim tribubus dispersis epistolam scribens, linguam hebraicam adhibuit, quam nec PETRVS commendatam sibi habuit, utut advenis dispersionis epistolam destinaverit. Idem iudicium ferimus de Evangelio MARCI rogatu Romanorum scripto, & laudamus illa <sup>l)</sup> GROTTII: "Græce scripsit MARCVS, quanquam in gratiam præcipue Romanorum, sicut & PAVLVVS ad Romanos Epistolam Græca scripsit lingua, quia Judæi, qui Romæ agebant, plerique Latini sermonis ignari longa per Asiam & Græciam habitatione Græcam linguam didicerant, & Romanorum vix quisquam erat non Græce intelligens.,"

§. XXXVI.

Per nos TIBERIVS potuit Latinam linguam antepone-  
re linguæ Græcæ. Per nos CLAVDIVS Imperator, si sub eo MARCVS Evangelium suum exaravit, potuit Romanis injungere, ut misso sermone Græco utantur Latino. Per nos aliqui provin-  
ciarum

<sup>l)</sup> Prolegom. in MARCVM.

ciarum Græcarum præfecti literarum Græcarum fuerunt expertes, hi omnes Spiritui S. manus ligare haud potuerunt, quo minus idiomate Græco, fiddissimo Amanuensi suo MARCO inspiraret Evangelium; qua in re gratias debemus BARONIO, qui consentientes nobiscum duos allegavit Patres, eosque præ aliis eximios, HIERONYMVM *m*) puta & *n*) AVGVSTINVM. Illius hæc dedit verba: “De Novo nunc loquor Testamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo MATTHAEO, qui primus in Judæa Evangelium Christi Hebraicis litteris edidit.,, Hunc vero ita loquentem introducit: “Horum (Evangelistarum) sane quatuor solus MATTHAEVS Hebræo scripsisse perhibetur eloquio, cæteri Græco.,, Quæ vero BARONIUS de Evangelio MARCI ex præconio PETRI desumpto, & munere interpretis attulit, ea suam solutionem in aphorismis præcedentibus ita jam nacta sunt, ut dicta recoquere nolimus.

### §. XXXVII.

Jam stylum MARCI adgreditur Cardinalis pro suo scopo, vultque nonnullas voces ex Latino in Græcum MARCI sermonem fuisse translatas. Provocat ad diligentiam hoc in argumento a SIRLETO Cardinali exhibitam, cujus lucubrationes nos nondum

*m*) Epistol. 123.

*n*) De Consensu Evangelistarum L. I. C. II.

dum vidimus, proinde nec iudicium de illis ferre possumus. Ipse BARONIUS autem, qui facile nosse potuisset, non in omnium manibus esse illum foetum literarium, ad otium sibi in hac controversia factum provocare non debuisset, multoque minus hunc laborem à præsenti instituto alienum pronuntiare, opus habuisset. Sed id suspectissimæ causæ indicium est satis manifestum. Esto interim, omnia vera esse, quæ pronuntiavit Cardinalis, si à potiori parte denominatio instituat, Evangelium MARCI primitus Græce est conscriptum, & ex verbis BARONII plus non sequitur, quam quod & vocabula Latina in Evangelio MARCI compareant, quæ plane non negamus, & nos convincunt, stylum Novi Testamenti etiam in MARCO non esse pure Græcum. Disceptarunt inter se nostra ætate de Latinismis Novi Testamenti merito & falso suspectis o) DRESIGIVS & GEORGIVS p), qui evolvi possunt, vel & ideo, quoniam & nonnulla dicta in MARCO extantia disquisitioni eorundem rigidiori fuerunt exposita.

§. XXXVIII.

Tandem BARONIUS accedit ad Autographum MARCI Evangelium, quod apud Venetos asservari dicitur,

o) Diss. de Novi Fœderis Græci Latinismis merito & falso suspectis §. VI. seqq.

p) Diss. de Latinismis Græcæ Novi Fœderis dictioni immerito affectis §. XV. seq.

dicitur, in quo autem egomet nullum causæ præfidium collocare vellem. Traditionem urget BARONIVS, prætereaque nihil, & Scriptores coævus vel coævis proximos allegare nescit. Sunt, qui cum *q*) MABILLONIO & BURNETO *r*) ajant, autographum sigillo munitum esse, nec aperiri exteris, forte ne de rei veritate fiat periculum. Contrarium affirmant MISSIONIVS *s*) & KEYSSELERVS *t*), qui oculis usurparunt librum. Ægre eum monstrari cupientibus docuit *u*) SIMONIS. Sunt, qui contendunt, *w*) Codicem Manuscriptum vetustate adeo esse detritum, ut distingui nequeat, utrum Latine an Græce scriptus sit? Pro idiomate Græco stat CORNELIVS à LAPIDE *x*), inter alia memorans, se à canonico quodam S. MARCI Venetiis, qui ejus reliquias in manu habuerit, ideoque oculatus testis fuerit, accepisse, autographum hoc S. MARCI  
Græca

*q*) Itin. Ital. p. 32.

*r*) Litteris itiner. P. II. p. 331.

*s*) Itin. Ital. T. I. p. 211.

*t*) Itin. T. II. p. 801, seq.

*u*) Vid. Introductio Grammatico - Critica in Linguam Græcam p. 238.

*w*) Conf. BVDDEI Isagogen Historico - Theologicam ad Theologiam universam p. 1301.

*x*) Adde RUMPAEI Commentat. Critic. ad Libros N.T. in genere p. 87.



Græca lingua esse conscriptum, ac Aquileia Venetias delatum esse anno Christi 1472. Pro idiomate Latino militat MONTFAUCONVS, *y*) qui testatur, omnes literas esse Latinas, sine vocum distinctione scriptas, & dolet humiditatem loci, ubi hoc cimelium asservatur, aitque, paginas non modo agglutinatas, sed & adeo marcescentes esse, ut nisi prompto remedio occurratur, brevi omnis Codex sit periturus. Omnia sic Codicem vi probandi privant, ut mirum esse non debeat, quod BARONII sententiam deseruerint ex ipsis Romanensibus SIMONIVS, *z*) TILLEMONTIVS, FRASSENIVS, BELLARMINVS. Quo pacto etiam Pontifex vel est negligens, vel invidiosus, *a*) ut tantum thesaurum apud Venetos delitescentem non publici juris faciat, & cum Ecclesia communicet. Non male *b*) FRICKIVS: "Fabula Veneta sine authore, traditione inanissima, infelicibus Ecclesiæ corruptæ seculis enata, neque loco quadrat Venetæ civitatis, quam nunquam attigit D. MARCVS, nec ratione linguæ, quam ajunt esse Latinam, aut Codicis ipsius, quem nemo

*y*) Conf. FABRICII Biblioth. Græcam l. c. & KEYSSELERVM l. c.

*z*) Vid. idem FABRICIVS l. c.

*a*) Adde B. Avi nostri IOH. ADAMI OSIANDRI Theologiam Positivam Acroamaticam P. I. p. 383.

*b*) De Cura Ecclesiæ veteris circa Canonem Sacræ Scripturæ p. 131.

G

nemo peritus inspexit, aut se talem reperisse testatus est, ullam verisimilitudinis umbram præ se fert. Dignior esset comparatio Veneti illius Avtographi D. MARCI, quod jactitant, cum nugaci chartæ nescio cujus Tolosæ anno 1520. impressæ narratione, quæ sic habet: Est in Ecclesia S. SATVRNINI Tolosæ unus liber Evangeliorum Beati IOANNIS Evangelistæ, literis aureis (ut fertur) manu sua scriptus. Has delicias, & jocularia pretiosa amplectantur, & quærant homines otiosi, nobis non lubet ineptire. „

### §. XXXIX.

Non minoribus exceptionibus expositus est textus MARCI ipse, quem genuinum esse contendimus, sive respiciamus ejus Materiam, sive, si adhuc in hac Dissertatione fieri possit, ejus Formam. Excutiemus primo res in his duodecim versiculis memoratas, secundo autem loco dispiciemus de verbis, queis tot tantæque veritates nobis sunt propositæ.

### §. XL.

Principio male habet dissentientes, quod Christus primum apparuerit MARIAE MAGDALENÆ, magnæ illi peccatrici, c) quæ ob enormia crimina  
à Dia-

c) Luc. VII. 37. seqq.

à Diabolo erat obseffa. Deinde illis, qui testibus resurrectionis Christi auritis & oculatis gavisi fuerant, incredulitas tribuitur, quæ de hominibus sanæ rationis dici non debet. Metamorphosis porro Christo tribuitur nescio qualis, in ordine ad duos, incertos valde, qui cum ipso ambulaverant, & si fuerint duo Emmauntici, contradicit MARCUS LVCAE perhibenti, quod, fide resurrectioni Christi habita, hos adventantes cum gaudio *d)* exceperint. Concipi præterea nequit, quod Christus ascensionis suæ die debuerit adhuc Apostolos reprehendere, & præter incredulitatem cordis duritiem ipsis exprobrare, quemadmodum & accubitus ad cœnam à MARCO memoratus contra tempus cœnandi ordinarium pugnat. Ulterius & præceptum impossibile Apostolis datum est, eundi in totum terrarum orbem, quod conditionem inconvenientem de prædicando omnibus indistincte creaturis Evangelio complectitur. Sic & ANTINOMI habent, quod volunt, si, missa lege, solum Evangelium est annunciandum, & ANABAPTISTÆ vicerunt, quia fides in salvandis præmittitur Baptismo, quem Sacramentum initiationis esse dicimus, in cuius etiam contemptum non defectus Baptismi, sed sola incredulitas finalis pro causa damnationis proponitur. Si deveniamus ad miracula, miraculum primi ordinis,

*d)* Luc. XXIV. 33. 34.

dinis, resuscitatio puta e) ex mortuis, deest, & recensentur in serie miraculorum ea, quæ miraculum nequaquam spirant, qualia sunt: Dæmones in nomine Christi ejicere, novis linguis loqui, quas nemo intellexisset, serpentes tollere, potu lethali uti sine periculo vitæ, infirmis manus imponere. Accedit, quod Dominus dicatur assumptus in cælum, qui alibi in cælum ascendisse, sine dubio virtute propria, perhibetur, & dum sedere dicitur ad dextram Dei, Anthropomorphismo eidemque crasso porta aperitur. Nondum denique ex historia constat, Apostolos ubique terrarum Evangelium prædicasse, & sic Magistri sui præceptum executioni dedisse, quorum etiam authoritati multum decedit, si necesse habuerunt, ut Dominus mediantibus signis miraculosis cum ipsis cooperaretur.

#### §. XLI.

Confusionem amant, qui MARIAM MAGDALE-  
NAM, cui Christus redivivus ex mortuis primum  
apparuit, pro magna illa peccatrice habent, de  
qua prolixam nobis LUCAS pandit historiam, cum  
hæc f) ex urbe Nain, illa ex urbe Magdala fuerit  
oriun-

e) Quæ tamen durante veteri œconomia jam aliquoties contigerat per ELIAM 1. Reg. XVII. 18. seqq. & ELISAEVM 2. Reg. IV. 32. seqq. XIII. 20. seqq.

f) Conf. DEYLINGII Observat. S. P. III. Observatio-  
nem XXXI. p. 291 - 301.

oriunda. Neque peccatrix illa unquam appellatur MARIA, omnium minime MAGDALENA, indigna hactenus, cujus nomen proprium recenseretur in historia evangelica. Obsessio etiam diabolica antecedentia crimina eaque enormia haud arguit, cum Deus piorum hominum in se conceptam fiduciam graviori quandoque soleat probare examine, quod g) exemplo IOBI constat, in cujus familiam & bona Deus magnam Satanæ vim permiserat.

§. XLII.

Testes auriti & oculati fidem facile inveniunt apud illos, quorum animi in statu sereno deprehenduntur, secus apud illos, qui ob præjudicia in sacris suis radicata tanta laborant animi perturbatione, ut lugeant & lachrymas fundant, quem casum recenset MARCUS ψ. IO. & II.

§. XLIII.

Metamorphosis illa facile explicatur, qua Christus duobus suorum se manifestavit. Apparuit illis alio, quam quo uti solebat, habitu externo. Simile quid contigerat in apparitione, quæ MARIAE MAGDALENÆ indulta erat, ut putaverit, Christum esse olitorem Joh. XX. 15. Sic & hi existimarunt, eum esse πάραινον. Ex vultu eum ab initio cognoscere

g) C. I. 12.

G 3

re non poterant, quia oculi eorum impediabantur. Bene *b)* HEVPELIVS: "Alia erat forma non secundum rei veritatem, sed secundum discipulorum existimationem., Interim apparitionem hanc à MARCO concise, à LVCA C. XXIV. 13. seqq. prolixius propositam, dissentiente licet ex Majoribus nostris ANDREA *i)* OSIANDRO, pro una habemus, nec MARCVS LVCAE contradicit, utrumque quod à MARCO & LVCA scriptum erat, vere scribebatur. Credebant; sed mox recurrebat suspicio & ipsa incredulitas. Fides, ut porro cum B. D. BENGELIO *k)* loquar, excepta prima lætitia, quæ tamen quiddam insolens & ecstaticum habebat admixtum, non erat fides, collata ad fidem defæcatam, exsaturatam, apostolatui idoneam, quæ secuta est. Luc. XXIV. 37. 38. Joh. XX. 25. Matth. XXVIII. 17.

#### §. XLIV.

Fuerunt quidem, sed paucissimi, interque eos VALENTINVS ERNESTVS *l)* LOESCHERVS, qui arbitrati sunt, apparitionem versu nostro 14. memoratam

*b)* Vid. ejus s. MARCI Evangelium Notis Grammatico-Historico-Criticis illustratum p. 547.

*i)* Annotat. in Librum IV. Harmoniæ Evangelicæ C. XXXVI.

*k)* Gnomon N. T. p. 197.

*l)* Decim. Evangel. ad h. l.

ratam fuisse omnium apparitionum Christi absolute ultimam, ob vocabulum ὕστερον in fonte extans, quod tantam rem non conficit, ut Apostolis ad meliorem mentem converfis ipso ascensionis Domini die ἀπιστίαν tribuamus & σκληροκαρδίαν. Certe vox ὕστερον idem etiam est, quod Deinde, & brevioram aliquam temporis moram innuit, ut hæc apparitio Christi in certo saltem genere fuerit postrema, nimirum inter illas, quæ ipso Resurrectionis die contigerant. Confer. Matth. IV. 2. XXI. 32. Joh. XIII. 36.

§. XLV.

Difficultas de accubitu ad cœnam à MARCO incongrue memorato premit eos, qui verba ἀνακειμένους αὐτοῖς cum B. LUTHERO accipiunt, ut undecim ad cœnam accumbentes recenseantur, nos vero hæc inconvenientia non premit, qui cum BEZA *m)* verba reddimus: Una sedentibus ipsis, vel recumbentibus illis. Vide Marc. V. 40. MARCVM exponit IOHANNES, qui ἀνακειμένους vocat συνηγμένους C. XX. 19. Servator etiam quæsit, an aliquid βρώσιμον haberent Luc. XXIV. 41. quod non fecisset, si mensa adhuc cibis instructa fuisset in gratiam cœnantium Apostolorum.

§. XLVI.

*m)* Ad h. l.



## §. XLVI.

Impossibilitas præcepti Apostolis dati eundi & prædicandi in toto orbe eo tempore ab hominibus inhabitato Evangelium evanescit, si verbum πορεύομαι, non ad iter pedestre restringitur. Generale id verbum est, in significato proficiscendi assumendum, quomodocunque iter instituat, sive pedibus, sive curru, sive navi. Act. VIII. 36. 39. coll. γ. 28. XX. 22. coll. γ. 38.

## §. XLVII.

Pariter & nulla inconvenientia deprehenditur in ordine ad omnem creaturam subintellige rationalem, <sup>n)</sup> cui Evangelium annunciandum venit, quam & materia substrata deponit, quia talia sunt prædicata, qualia permittuntur à suis subjectis. Omnem sane creaturam in MARCO obviam interpretatur MATTHÆVS C. XXVIII. 19. per πάντα τὰ ἔθνη, Judæos puta & Gentiles. Hinc & κτίσις transfertur & ad solos regenitos 2. Cor. V. 17. Gal. VI. 15. & ad Magistratum politicum ex hominibus constantem 1. Pet. II. 13.

## §. XLVIII.

<sup>n)</sup> Scilicet Synecdoche generis pro specie ponitur, creatura pro homine, cujus dictionis exempla & alia in sacris prostant.



§. XLVIII.

Solum Evangelium hominibus annunciandum esse, suis nunquam, ergo nec in nostro loco, in mandatis dedit Apostolis Servator. Tantum abest, ut præcepta legis in gratiam ANTIMORVM in Novo Testamento per Christum sint sublata, ut potius ab Apostolis ipsius serio inculcata, & vitia officiis debitis opposita magno cum zelo fuerint prohibita. Vide ex multis Rom. VII. 7. 14. 22. 25. XII. 1. 2. 3. 7 - 21. XIII. 1 - 10. 12. 13. Gal. V. 19-22. Eph. IV. 25-29. V. 2 - 5. 18 - 29. VI. 1 - 9. Col. III. 5. 8. 9. 12. 13. 14. 18 - 25. IV. 1. 2. I. Thes. IV. 3 - 6. V. 14. 15. 16. 17. 22. I. Tim. I. 5. VI. 11. Tit. II, 2-6. III. I. 2. I. Pet. II. 11 - 18. III. 1 - 11. IV. 7 - 13. V. 5 - 7. 2. Pet. I. 5 - 7. I. Joh. IV. 19. Jac. II. 8.

§. XLIX.

ANABAPTISTAE nequaquam vicerunt nostrum pædobaptismum, quia adulti, si christianam religionem amplectuntur, prius debent fidem concipere ex verbo Evangelii, & tum demum fiunt baptisimi participes. Verba etiam MARCI hanc admittunt translationem: Qui crediderit, cum vel postquam baptizatus fuerit, salvabitur; quia particula καὶ ante verbum βαπτισθεὶς obvia hanc significationem frequenter sustinet, & in ea ab ipso MARCO fuit adhibita C. XV. 25. Sic MARCVS consentit cum ΜΑΤΘΑΙΟ, qui C. XXVIII. 19. 20. τὸ βαπτίζειν præ-

H misit

misit τῷ διδάσκειν, & pædobaptismus firmo stat talo, o) partim ob baptismi necessitatem, partim ob institutionis baptismi universalitatem, partim ob fœderalis promissionis communitatem, partim ob Ecclesiæ Apostolicæ praxin, partim ob infantum qualitatem, qui membra sunt ecclesiæ.

## §. L.

Incredulitas finalis recte pro causa damnationis affertur, quia vi oppositionis non nisi fide in Christum post lapsum salvamur, quam Deus operatur vel per media ordinaria gratiæ, vel & modo extraordinario, & hujus necessitas in ordine ad salutem consequendam est absoluta. Talis vero non est necessitas respectu habito ad baptismum, qui, si haberi possit, necessarius quidem est, necessitate medii ordinarii Tit. III. 5. 6. 7. & necessitate præcepti Matth. XXVIII. 19. si haberi autem non possit, privatio ejus non damnat, utpote sine quo latro conversus fuit salvatus Luc. XXIII. 40 - 43. Nihil ergo in contemptum baptismi scripsit MARCVS, qui ejus omissionem pro causa damnationis dare non poterat, quia ejus malitiosa repudiatio duntaxat damnat Luc. VII. 30.

## §. LI.

o) Vid. B. D. PFAFFII Diss. de Baptismo p. II. & B. D. WEISMANNI Diss. de Pædobaptismo fere tota.

§. LI.

A resuscitatione mortuorum, miraculo primi ordinis hoc loco abstrahit Servator, eamque tamen ideo haud negat, & eo quidem minus negat, quia alibi eam jam *p)* proposuerat, neglectis aliis signis, quorum effectum plane singularem heic credentibus promiserat. Miracula quoque in MARCO nostro appellari evidentissima, & ab omni præstigiarum suspicione remotissima, observavit B. D. *q)* BEN-  
GELIUS.

§. LII.

Exemplum hominis, qui in nomine Christi dæ-  
mones eiecerat, neque tamen eum cum Apostolis  
secutus fuerat Luc. IX. 49. difficultatem aliquam  
creare posset, quam & sensit IOHANNES. Re-  
spondet autem statim Servator, non ut probaret  
hominis illius factum, sed doceret, illum esse velut  
infirmum fovendum, quia non suus sit adversarius,  
sed adhuc sanabilis. Unde vero expulsio dæmo-  
num non desinit esse actio miraculosa, sed collatis  
aliis locis Matth. XII. 27. Luc. XI. 19. colligere par  
est, ejectionem dæmoniorum non semper esse cri-  
terium status gratiæ, imo, concessio hoc miraculi  
dono, aliquem posse damnari Matth. VII. 22.

§. LIII.

*p)* MATTH. XI. 5.

*q)* l. c.

## §. LIII.

Linguis novis loqui, phraseologia talis est, quæ ob ambiguitatem suam depurari debet. Nemo intellexerit linguas recenter excogitatas, vel absolute novas, quarum sensum nemo affecutus fuisset, sed peregrinas, ante fidelibus incognitas, satis tamen perceptibiles illis, ad quos illi perventuri essent. Eventus autem miraculosus negotium hoc comprobavit, quo primum festum pentecostale Novi Testamenti illustrissimum fuit redditum; peregrini enim ex variis orbis partibus Hierosolymis degentes audierant primos Christianos loquentes suis linguis magna Dei facta, adeo, ut omnes obstupuerint, & hæsitaverint dicentes alius ad alium: Quid hoc rei esse possit? Act. II. 11, 12. Adde Act. X. 46. XIX. 6. I. Cor. XII. 10.

## §. LIV.

Serpentes tollere, pariter locutio est, quæ probe explicanda venit, quippe quæ innuit, serpentes sublato portare ita, ut illæsus ab aliis maneat. Sic τὸ ἀίρειν *r*) in emphasi sua singulari adhibetur ob parallelismum repetendum ex Matth. XVI. 24. Marc. VIII. 34. XIII. 15. 16. Luc. V. 24. VI. 29. 30. Joh.

*r*) Adde GEORGII Diss. de Fide in IESVM CHRISTVM ad dexteram Dei exaltatum salvifica p. 14.

Joh. I. 29. Exemplum PAVLI hac in re plane singulare perhibet LVCAS Act. XXVIII. 3. seqq. Adde Luc. X. 19. & ex Veteri Testamento Jes. XI. 8.

§. LV.

Alius casus est, si potui lethali confestim antidotum paratur, quam is, qui à MARCO proponitur. De IOHANNE s) Evangelista tale quid perhibetur, quod brevi ante mortem poculum cum cicuta biberit, unde & cum poculo, ex quo serpens prominet, depingi solet. Quin Romæ in Ecclesia S. IOHANNIS adhuc ostenditur calix, ex quo venenum Apostolo propinatum esse ferunt. Plura exempla collegit t) GROTIUS, qui simul observat, narrare TALMVDISTAS, cognatum quendam IOSVAE, filii LEVI, cum venenum bibisset, pronunciato IESV nomine convaluisse.

§. LVI.

Impositio manuum infirmis facta, quocunque etiam morbo fuerant correpti, & in nomine IESV suscepta, cum effectu valetudinis exoptatæ sine mora conjuncta, extenuari non debet. Exemplum hujus

s) Fabulam esse post multos statuit LAMPIVS Proleg. Comment. in IOHANNEM L. I. C. V. §. XXII.

t) Ad h. l.

hujus beneficii insignis prostant Act. III. 6, seqq. V. 12. 15. 16. VIII. 7. IX. 34. XIV. 8, seqq. XIX. 12. XXVIII. 8. 9. Confer & omnino Jac. V. 15.

§. LVII.

Utrumque affirmant sacræ literæ de Christo, & verissime affirmant, sed non eodem respectu, quod assumtus fuerit in cœlum, & quod ascenderit in cœlum, ut adeo omnis jam exulet contradictio. Assumtus fuit in cœlum, quoad humanam naturam, ascendit in cœlum virtute propria divina, carni suæ communicata, quandoquidem is persona non est simplex, unicam habens naturam, sed composita, duabus iisdemque admodum heterogeneis naturis instructa, divina scilicet & humana, sui similem non cognoscens, neque in cœlo, neque in terra. Sic valent dicta de assumptione Christi in cœlum Luc. IX. 51. Act. I. 2. II. 22. I. Tim. III. 16. Valent vero etiam illa, quæ ascensionem ejus deprædicant Joh. III. 13. XX. 17. Eph. IV. 8. 9. 10.

§. LVIII.

Anthropomorphismum eumque crassum, nequaquam producit sessio Christi ad dextram Dei, quippe quæ illocalis est, à prædicamento situs alienissima, & interprete PAVLO I. Cor. XV. 25. per Regnare determinatur. Pariter & dextra Deo tribuitur more humano, intelligenda θεοπροπῆς, unde

de Beati nostri Confessores u) scripserunt: "Hæc non terreno modo, sed, ut D. LUTHERVS loqui solet, pro modo & ratione dextræ Dei facta sunt: quæ non est certus aliquis & circumscriptus in cœlo locus: sed nihil aliud est, nisi omnipotens Dei virtus, quæ cœlum & terram implet: in cuius possessionem Christus juxta humanitatem suam, sine confusione tamen & exæquatione naturarum, & in essentia, & in essentialibus proprietatibus, realiter seu revera venit.,,

§. LIX.

Obsequium Apostolorum Servatori in annunciendo ubique Evangelio præstitum non ita capiendum est, ac si illud immediate post ascensionem Christi ejusque sessionem ad dextram Dei majesticam simul præstitum esset, quæ sententia contra textum sacrum militaret, eo quod mandatum acceperant, ut Hierosolymis x) expectarent Spiritum S. toties ipsis promissum, & præconium gratiæ auspiciarentur pariter y) Hierosolymis. Licet etiam tempus sine formidine oppositi allegare nequeamus, quo, relictis Hierosolymis, relicta & Judæa

u) FORM. CONCORD. Artic. VIII. de Persona CHRISTI.

x) LVC. XXIV. 49.

y) LVC. XXIV. 47.



dæa tota ad Gentiles iter fecerunt, tamen ex Novi Testamenti dictis clarissime constat, Apostolos ubique & ore, & scripto, annunciasse Evangelium, & sic exactissimum Doctori suo exhibuisse obsequium, & luculentissima hoc de argumento ꝛ) vaticinia Veteris Testamenti suo effectui exoptatissimo dedisse, Rom. I. 8. X. 18. Col. I. 6. 23.

§. LX.

Authoritas Apostolorum manet illibata, etiamsi Domino cooperante suo officio fuerint defuncti, qui & sermonem eorum per subsequencia confirmavit signa. Authoritas quippe Apostolorum non erat independens, sed ministerialis, ab influxu gratioso Doctoris & Magistri sui pendula. Conferantur dicta I. Cor. III. 6. 7. 9. IV. 1. XII. 6. XV. 10. 2. Cor. III. 4, seqq. V. 20. Sic promissio Servatoris de sua præsentia gratiosa continua, Matth. XXVIII. 20. extans, plenissimum nacta est complementum.

§. LXI.

Exposita Materia versiculorum nostrorum, transimus ad eorundem Formam, sive ad verba, quibus illi efferuntur. Heic ab initio statim contorta

ꝛ) PS. LXXII. 11. IES. II. 2. 3. LIX. 19. ZACH. IX. 10. XIV. 9.



ta admodum connexio urgetur, inter verba finalia commatis octavi ἐφοβῆντο γάρ, & inter verba initialia commatis noni ἀνασῆς δὲ πρῶτῃ κ. τ. λ. Mancus videtur esse hic contextus, quia post verba ἐφοβῆντο γάρ, hæc in Codicibus nostris extare deberent: πάντα δὲ τὰ α) παραγγελμένα, τοῖς περὶ τὸν Πέτρον συντόμως ἐξήγγειλαν. Μετὰ δὲ ταῦτα καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ ἀνατολῆς καὶ ἄχρι δύσεως, ἐξαπέσειλε δι' αὐτῶν τὸ ἱερόν, καὶ ἀφθάρτον κήρυγμα τῆς αἰωνίης σωτηρίας. Hæc in Latinum conversa sermonem ita reddi b) possunt: Omnia mandata PETRO paucis nunciarunt. Post hæc vero & ipse Jesus, ab oriente usque ad occasum, nunciavit per eos sacram & incorruptum præconium æternæ salutis.

§. LXII.

Durior est ellipsis, quæ versu nono reperitur:

Ἀνασῆς δὲ πρῶτῃ πρώτῃ σαββάτῃ, ἐφάνη πρῶτον Μαρίας τῇ Μαγδαληνῇ, ἀφ' ἧς ἐκβεβλήκει ἑπτὰ δαιμόνια, quippe quæ subjectum reticet, cui tria tribuuntur prædicata, resurrectio scilicet, & apparitio, & ejectio septem demoniorum. Verba interim elliptica ita commode reddi

a) Aliqui legunt παραγγέλματα.

b) Alii ita: Omnia autem, quæ ipsis fuerant nunciata, continuo Petro & iis, qui cum illo, renunciarunt. Postea vero etiam ipse Jesus ab oriente ad occidentem usque, promulgavit per eos sacram illam & incorruptam prædicationem æternæ salutis.

reddi possunt: Quum autem resurrexisset mane, primo die hebdomadis, apparuit primùm MARIAE MAGDALENÆ, ex qua eiecerat septem dæmonia.

§. LXIII.

Obscurum est verbum ἀνάσας de Christo usurpatum, ut ambigas, an resurrexerit virtute propria, an vero virtute aliena? Verbum namque ἀνίστημι significat quidem resurgere virtute propria, sed & idem adhibetur, quando de resurrectione sermo est, quæ aliena virtute peragitur. Sic ipse MARCVS noster hoc verbo utitur C. XII. 23. 25. & LVCAS C. XVI. 31. & IOHANNES C. XI. 24. & PAVLVS I. Thes. IV. 16.

§. LXIV.

Præter omissionem personæ, quæ resurrexit, obscuritas nova adest circa illius resurrectionis tempus, cuius interpunctio varia est. Accedit, MARCVM ponere σαββατον pro hebdomade, & pro ἐξεβεβλήκει saltim posuisse ἐκβεβλήκει, quod sine præpositione ἀπὸ exhibere debuisset, si præcepta linguæ Græcæ accurate sequi potuisset.

§. LXV.

MARCI oratio iterum deficit ψ. 10. quando personæ cum cura non determinantur, lugentes

tes

tes illæ & flentes, quæ cum Christo fuisse dicuntur. Similiter versu duodecimo duo in genere adducuntur, quæ Christus se ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ manifestavit, ut ignores, an alter eorum fuerit vel LUCAS, vel NATHANAEL, concessio hæctenus, unum illorum fuisse Cleopam Luc. XXIV. 18. quemadmodum & λοιπὸν commate 13. ex industria Scriptoris nostri manent incerti, quibus Emmauntici & dicta & facta Servatoris commemoraverant.

§. LXVI.

Nec silentio præterire licet, HIERONYMVM c) perhibere, post voces ἐκ ἐπίστευσαν versu decimo quarto extantes, exemplaria quædam sequentia exhibere: Et illi satisfaciebant dicentes: Seculum illud, iniquitatis & incredulitatis substantia est, quæ non finit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem, idcirco jam nunc revela justitiam tuam. FABRICIO videtur, d) Græce verba sic fuisse scripta: Κακῆνοι ἀπελογῆντο, λέγοντες· Ὁυτος ὁ αἰὼν κακίας καὶ ἀπιστίας ὑπόστασις ἐστίν, ἐκ ἐάσασα δι ἀκαθάρτων πνευμάτων τὴν ἀληθῆ τῆ Θεῷ δύναμιν καταλαμβάνεσθαι. Ὁυκὲν ἀποκαλύπτεις νῦν ἀρετὴ τὴν δικαιοσύνην σου.

§. LXVII.

c) Adversus PELAGIANOS L. II. C. VI.

d) Codic. Apocr. N. T. P. I. p. 325.

## §. LXVII.

MARCUS præterea peccavit  $\psi$ . 15. quod τῆ κτίσει prædicatum legitimum dare neglexit, &  $\psi$ . 18. solum prædicatum θανάσιμον sine subiecto proposuit, & eodem versu impositioni manuum super infirmos factæ sine precibus patrocinatorum est, & versiculo 19. tantum ἑσάνδν in singulari largitur, in quem Christus assumptus est, & versum ultimum vocabulo Ἀμὴν haud obsignavit, quod tamen reliquos tres Evangelistas, MATTHAEVM, *e)* LVCAM *f)* & IOHANNEM *g)* fecisse constat. Eadem vocula legitur sub finem Actuum Apostolicorum, *b)* & Epistolarum ad ROMANOS, *i)* CORINTHIOS, *k)* GALATAS, *l)* EPHESIOS, *m)* PHILIPPENSES, *n)* COLOSSENSES, *o)* THESALO-

*e)* C. XXVIII. 20.

*f)* C. XXIV. 53.

*g)* C. XXI. 25.

*b)* C. XXVIII. 31.

*i)* C. XVI. 27.

*k)* C. XVI. 24. & XIII. 13.

*l)* C. VI. 18.

*m)* C. VI. 24.

*n)* C. IV. 23.

*o)* C. IV. 18.

SALONICENSES, *p*) TIMOTHEVM, *q*) TITVM, *r*)  
PHILEMONEM, *s*) HEBRAEOS; *t*) pariter & in  
duabus Epistolis PETRI, *u*) prima & secunda  
IOHANNIS, *w*) Epistola IVDÆ *x*) & Apocalypsi  
IOHANNIS. *y*)

§. LXVIII.

Facile affirmatur, verba §. LXI. allata esse par-  
tem textus sacri, sed motiva credibilitatis sufficien-  
tia omni jure adhuc desideramus. Unicus affertur  
Codex, in cujus contextu hæc verba, teste BEZA, *z*)  
leguntur, quæ juxta SIMONIUM *a*) tantum velut  
Scholion contextui sunt inserta. Fortiores deside-  
ramus rationes, dignas illas, in quarum solutione  
simus occupati. Ipsa interim hæc adulterina ver-  
ba

- p*) C. V. 28. & III. 18.
- q*) C. VI. 21. & IV. 22.
- r*) C. III. 15.
- s*) Commate 25.
- t*) C. XIII. 25.
- u*) C. V. 14. & III. 18.
- w*) C. V. 21. Et versu 13.
- x*) Commate 25.
- y*) C. XXII. 21.
- z*) Ad h. l.
- a*) Vid. FABRICIUM l. c. p. 325.



ba exhibent *b)* GLASSIVS, MILLIVS, *c)* CLERICVS, *d)* quæ non sine circumsp̄ctione à sciolo quodam sunt adjecta, quia verba finalia  $\chi$ . 8. ἐφοβήντο γὰρ historiam MARCI evangelicam apertissime abrumpunt.

### §. LXIX.

Ellipsis  $\chi$ . 9. sine difficultate evolvitur, quod ἀνάστασις ὁ Ἰησοῦς intelligendus sit, utpote cui per dicta parallela competit resurrectio, apparitio prima MARIAE MAGDALENÆ indulta, & dæmoniorum septem ab eadem MARIA MAGDALENA expulsio. De resurrectione ejus vide Matth. XXVIII. 6. Luc. XXIV. 34. Joh. X. 18. Apoc. I. 18. Apparitionem primam Christi MARIAE MAGDALENÆ indultam habemus Joh. XX. I. 2. II - 18. Ejus autem liberationem à septem dæmoniis recenset LVCAS C. VIII. 2. Non dicam, plures Codices referre nominativum ὁ Ἰησοῦς, quos commemoravit MILLIVS. *e)*

### §. LXX.

Homonymiam in verbo ἀνίστημι largimur, nec litem movebimus de locis citatis, in quibus id adhibe-

*b)* Philol. S. L. I. Tract. II. p. 228, seq.

*c)* N. T. G. f. 118.

*d)* Art. Critic. P. III. S. I. C. XV. p. 229.

*e)* l. c.

hibetur de resurrectione aliena virtute facta. Sed fateantur dissentientes, idem verbum usurpari etiam ea in significatione, qua resurrectionem ex propria virtute pro omnipotentia subjecti denotat Matth. XX. 19. Marc. X. 34. Luc. XXIV. 46. Joh. XX. 9. Act. XVII. 3. 1. Thes. IV. 14.

§. LXXI.

Tempus resurrectionis Christi nullo labore potest indicari, si illud matutinum valde dixeris. Conf. Matth. XXVIII. 1, seqq. Marc. XVI. 2, seqq. Luc. XXIV. 1, seqq. Joh. XX. 1, seqq. Nec interpunctio, quæ post voces ἀναστὰς δὲ comma exhibet, magna gaudet autoritate, & si gauderet, nil probaret, quia reliqua sunt adhuc imparia in textu, & totus interpunctionum ambitus à Spiritu S. non repetit originem. Quod autem MARCVS σαββατον ut hebdomadem exhibuit, id synecdochice capiendum est, quia Sabbathum est pars septimanæ, eaque nobilior Luc. XVIII. 12. XXIV. 1. Joh. XX. 1.

§. LXXII.

Perperam affertur dubium grammaticale, quod MARCVS pro ἐκβεβλήκει scribere debuerit ἐξεβεβλήκει cum duplici augmento, quia & Attici & Jones quandoque unico augmento contenti sunt. Vide Marc. XIV. 44. XV. 7. Exempla ex HERODOTO,  
DE-

DEMOSTHENE & ARRIANO exhibuit HEVPELIVS, *f*) qui bene observat, *g*) verbum ἐκβάλλειν cum præpositione ἀπὸ occurrere Act. XIII. 50. Quoad puritatem autem Græci sermonis neminem novimus, qui LVCAE aliquam litem intentaverit. Potuisset de cætero, si voluisset, Evangelista noster omittere præpositionem ἀπὸ, cum & verbum ἐκβάλλειν sine præpositione cum casu secundo construatur. Exempla etiam hanc in rem dedit laudatus HEVPELIVS *b*) ex EPICTETO, AELIANO, & ARRIANO. Potuisset porro MARCVS suum ἐκβάλλειν jungere præpositioni ἐκ, quod fecit IOHANNES C. II. 15. eo magis, quia idem cum adverbio ἔξω comparet Luc. IV. 29. Sed noluit, & salva puritate linguæ Græcæ noluit.

### §. LXXIII.

Non insolens est, ut ellipsis utatur MARCVS, cujus rei specimen dare potuissemus ex *ψ*. 9. in quo sub vocabulo πρώτη subintelligi debet vox ἡμέρα, nisi pro explorato habuissemus, stylum MARCI subinde esse ellipticum. Interea allatæ §. LXV. tres ellipses ita sunt comparatæ, ut propositiones, quibus eæ sunt insertæ, facile possint intelligi.

*f*) l. c. p. 459.

*g*) l. c. p. 546.

*b*) l. c. p. 545.



ligi. Nam lugentes illos & flentes  $\psi$ . 10. IOHAN-  
NES appellat C. XX. 18. discipulos. Duo illi, queis  
alia vice se Christus  $\psi$ . 12. manifestaverat, erant  
etiam ex numero suorum affeclarum, cum his  
soltim, non hostibus suis, se repræsentaverit redi-  
vividus ex mortuis Servator. Act. X. 41. LVCAM *i*)  
alterum fuisse ex illis dicere nolim, quia Evan-  
gelii sui Capite primo, versiculo primo ait, se  
nec fuisse *αὐτόπτην*, nec *ὑπηρετήν τῷ λόγῳ*, adeoque se  
satis distinguit ab illis, *οἷς ὁ Ἰησοῦς ἑαυτὸν παρέστησε ζῶντα*  
Act. I. 3. De NATHANAELE *k*) vero, altero in isto  
itinere comite, ne minimæ probabilitatis vesti-  
giolum adest, sive is habeatur pro BARTHOLO-  
MAEO, vel non. Denique *τὰς λοιπὰς*  $\psi$ . 13. deter-  
minat LVCAS C. XXIV. 33, nosque docet, illos  
fuisse undecim cum aliis Christi discipulis in unum  
congregatis. Si quis de cætero alias adhuc ellipses  
venari cupit in nostro versu, potest urgere, quod  
objectum annunciationis à duobus Emmaunticis  
factæ non sit expressum, MARCO ajente: *καὶ κείνοι  
ἔπελθόντες ἀπήγγειλαν τοῖς λοιποῖς*. Sed id ex materia  
substrata facillime potest & debet innotescere,  
quod fuerit & Christi resurrectio & manifestatio.  
Luc. XXIV. 31. 35.

§. LXXIV.

*i*) THEOPHYLACTVM ita sensisse constat.

*k*) EPIPHANIVM sic statuisse notum est.

K

## §. LXXIV.

HIERONYMVS loco citato respondet illis, qui affirmant, possibile esse, omni tempore peccata vitare. His regerit exempla Apostolorum, queis exprobrare debuit Servator incredulitatem & duritiem cordis, & in transitu tantum refert, in quibusdam exemplaribus, & maxime in Græcis Codicibus verba allata inveniri. Concedamus hæc omnia HIERONYMO, qui suo recensu plus non potuit indicare, quam quod Codices quidam Græci additamento hoc fuerint interpolati, sed ita, ut variatio plane non necessaria in Textu, eaque particularissima tantum facta fuerit. CROIVS <sup>l)</sup> arbitrat, hoc additamentum redolere impietatem, & MARCIONITARVM & MANICHAEORVM; qua in re eum suo abundare sensu patimur, de eo gaudentes, quod Ecclesia purior additamentum hoc statim exsecuerit.

## §. LXXV.

Res ipsa deposcit, ut per *κρίσιν* <sup>ŷ. 15. m)</sup> non nisi creaturam humanam intelligamus. Angeli in bono confirmati non opus habent præconio Evangelii.

<sup>l)</sup> Vide ejus Observaciones ad Novum Fœdus ad h. I.

<sup>m)</sup> Adde SEB. SCHMIDII Collegium Biblicum P. II. p. 194.

geli. Angeli lapsi eo privantur, quippe qui jam condemnati sunt ad æternos cruciatus. Brutis & plantis annunciari cum fructu posse Evangelium is dixerit, qui cerebrum habet in calcaneo, & sic ergo soli homines remanent, queis hoc beneficium gratiæ destinavit ante suum ex mundo abitum visibilem Servator optimus. Non male DRUSIVS: n) "Ut creaturæ nomen ad omnes homines restringitur, sic Eva vocatur mater omnium viventium, id est hominum. Sic etiam carnis vocabulum, quod latius patet, de solis hominibus usurpatur."

§. LXXVI.

Falsum est, MARCVM solum θανάσιμον sine subiecto attulisse. Dicit enim θανάσιμόν τι, & quia verbum πίωσιν addit, manifestum facit, quod sermo sit de potu lethali sine periculo vitæ, non ad ostentationem, sed tempore persecutionis in causa Dei exhauriendo. Si hæc non arrideant, subintelligi debet φάρμακον, quod & DIOGENES CYNICVS apud DIOGENEM o) LAERTIVM subintellexit, quando voluit pulchras meretriculas lethali (veneno) melle diluto persimiles esse. Si prævidisset MARCVS, suam loquendi rationem insuperabilem efficere difficul-

n) Ad h. l.

o) Conferatur omnino ELIAS PALAIRET in Observ. Philologico-Criticis in sacros Novi Fœderis Libros p. 144.

ficultatem, sine dubio addidisset φάρμακον, quod METRODORVS & DEMOPHILIVS exprefferunt; ille quidem eo loco, quo docuit, omnibus nobis lethale infusum esse generationis venenum, hic vero in ea connexionione, qua ostendit, consilium capere ab amico perfido, idem esse, ac ex aureo poculo venenum lethale bibere.

### §. LXXVII.

MARCO magna fit injuria, quod nudæ manuum impositioni effectum miraculosæ sanationis adscripserit. Qui rationes istorum temporum novit, non potest non vel nobis tacentibus convictus esse, impositionem manuum cum precibus ardentissimis conjunctam fuisse, & sic sanationem ægrotis obtigisse Jac. V. 14. 15. 16. Non male GROTIUS affirmavit, impositionem manuum visibile signum esse precatationis, p) cujus IACOBVS meminerit, & LYCAM signum rei signatæ conjunxisse Act. XXVIII. 8.

### §. LXXVIII.

Vox ἰκανός in singulari numero de ascensione Christi in cœlum usurpata nihil habet incommodi, quia

p) BAUMGARTENIVS in der Auslegung des Briefes IACOBI p. 231. affert Act. IX. 40. XX. 10. Joh. XI. 41. 1. Reg. XVII. 21. 2. Reg. IV. 33. 34. sed dubito, & valde quidem dubito, num dicta hæc omnia probandum probent.

quia cœlum gloriæ innuere voluit MARCVS, cum hac assumptione Christi in cœlum immediate coniungens majesticam eius sessionem ad dextram Dei. Conf. Luc. XXIV. 51. Joh. III. 13. Act. I. 11.

§. LXXIX.

τὸ ἀμὴν non ab omnibus plane exemplaribus MARCI abest, sed Manuscripta Bodlejana q) omnia id habent. Esto, illud non spectare ad Textum ipsum, pro additamento Ecclesiæ haberi vult, quæ eo suum assensum libro sacro perhibere consultum duxit. Sed nec in omnibus Codicibus hoc ἀμὴν legitur sub finem r) MATTHÆI, LVCAE, s) IOHANNIS, t) & Actuum Apostolicorum. u) Nec necessarium id est absolute in libris historicis, quales sunt quatuor Evangelia & Apostolorum Acta, utpote in quibus quam maxime saltem recensentur facta. Aliter iudico de Epistolis, quæ, quia laudibus divinis, salutationibus & votis finiuntur, τὸ ἀμὴν magis deprecantur. Mens eadem nobis sedet de Apocalypsi IOHANNIS, libro unico Novi Testamenti prophético,

q) Vid. GERHARDVS a MASTRICH in N. T. G. ad calcem p. 9.

r) Confer MILLII N. T. G. f. 67.

s) l. c. f. 196.

t) l. c. f. 251.

u) l. c. f. 326.



tico, cujus complementum omnibus numeris absolutum cum adventu Domini ultimo non potuit non optare Vir illuminatus.

§. LXXX.

Postquam & Res & Verba versiculorum nostrorum controversorum excussimus, restat, ut dubia e medio removeamus, quæ ex Antiquitatis ejusdemque remotioris penu contra avthentiam eorum proferuntur, pro instituti ratione paucis, sed, uti prorsus confidimus, cum convictione Lectorum nostrorum, ea refutaturi. Qua in re dispiciendum erit partim de Codicibus manuscriptis, qui nobis refragantur; partim de Patribus, qui hisce versibus, ut genuinis, haud favent; partim de Scriptoribus antiquioribus, qui hosce versiculos sua commutatione non explicarunt.

§. LXXXI.

Codices plures Græci dicuntur desiderasse versus duodecim postremos Capituli XVI. MARCI. Inter Patres eminent HIERONYMVS, *w*) qui dissentire videtur in verbis sequentibus: "Non recipimus MARCI testimonium, quod in raris fertur Evangeliiis, omnibus Græciæ libris pene hoc Capitulum in fine non habentibus: præsertim cum diversa atque

*w*) Epist. CL. Quæst. III.

que contraria Evangelistis cæteris narrare videantur.,, EVTHYMIUS<sup>x)</sup>, cum versum octavum exposuisset, fatetur, exegetas finem imposuisse Evangelio MARCI jam absoluto. GREGORVS NYSSENVVS<sup>y)</sup> ait: ἐν μὲν τοῖς ἀκριβετέροις ἀντιγράφοις τὸ κατὰ Μάρκον ἑναγγέλιον μέχρι τῆς, ἐφοβῆντο γάρ, ἔχει τὸ τέλος. Inter Scriptores, qui hanc pericopam haud exposuerunt, nominari merentur ORIGENES, <sup>z)</sup> CHRYSOSTOMVS, <sup>a)</sup> VICTOR ANTIOCHENVVS. <sup>b)</sup>

§. LXXXII.

Miramur autem haud immerito, Codices plures Græcos contra nos in genere saltim afferri, qui characteribus suis distinctivis fuissent allegandi. Si eos sciremus, vel ut pure Græcos, vel ut Græco-Latinos, possemus de autoritate eorum & vi probandi iudicium ferre, quod jam ex culpa dissentientium fieri nequit. Suspectos vero sic se reddunt adversarii, Codices Græcos contra nos vel reticentes, vel ignorantes.

§. LXXXIII.

<sup>x)</sup> Apud FABRICIVM l. c. p. 326.

<sup>y)</sup> Opp. T. III. f. 411. Oratione secunda in Christi Resurrectionem.

<sup>z)</sup> Opp. P. II. f. 208.

<sup>a)</sup> Commentar. in N. T. T. I. f. 931. T. II. f. 150.

<sup>b)</sup> Apud GLASSIVM l. c. p. 228.

## §. LXXXIII.

HIERONYMI *c)* verba in contextu suo sunt consideranda. Ait ille, "aut enim non recipimus MARCI testimonium, quod in raris fertur Evangeliiis, omnibus Græciæ libris pene hoc Capitulum in fine non habentibus: præsertim cum diversa atque contraria Evangelistis cæteris narrare videatur. Aut hoc respondendum, quod uterque verum dixerit: MATTHAEVS, quando Dominus surrexerit vespere sabbathi: MARCVS autem, quando eum viderit MARIA MAGDALENE, id est, mane prima sabbathi.,, Quilibet jam videt, HIERONYMVVM non absolute rejecisse duodecim postrema MARCI comata, sed dubium hæsisse in exponenda sua sententia. Sensit ille difficultatem conciliandi Evangelistas in historia Resurrectionis Christi, & ex hac ratione, iudicio CLERICI, *d)* ut sæpe alibi *ὑπερβολικῶς* forte loquitur HIERONYMVVS. Sed cogitationes ejus posteriores sunt meliores, queis dimisso dissensu Evangelistarum ipse MATTHEVM & MARCVVM conciliat.

## §. LXXXIV.

- c)* Velim, ut l. c. inspiciatur ipse HIERONYMVVS.  
*d)* Epistola ad C. IVNVVM OPTIMIANVM de Editione N. T. MILLIANA, quæ Oxonii prodiit, statim post initium.



§. LXXXIV.

EUTHYMIUM e) testatum esse, Exegetas saltim quosdam ultra comma octavum in nostro capite haud progressos esse in sua interpretatione haecenus concedemus. Interpretes quandoque reformidare solent loca, quæ sunt difficilia, in quorum numerum nostra commata referimus. Ab omissa vero versuum nostrorum interpretatione ad eorundem novitatem afferendam non valet consequentia. Id interim pro nobis est, quod ipse EUTHYMIUS versus nostros interpretatus fuerit.

§. LXXXV.

Apud GREGORIVM NYSSENVUM verba allegata legimus ipsi, sed ejus authoritas tanta non est, ut cæcum assensum mereatur. Hallucinatus est & alibi, quando corruptissimos secutus est Codices, qui Lucae XI. 2. legerunt: ἐλθέτω τὸ ἅγιον πνεῦμά σου ἐφ' ἡμᾶς, καὶ καθαρῶσάτω ἡμᾶς, cum genuina lectio hæc sit: ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου. Accedit, non ab omnibus GREGORIVM NYSSENVUM haberi pro authore horum verborum, sed HESYCHIVM, f) Presbyterum Hierosolymitanum.

§. LXXXVI.

e) De solis Exegetis EUTHYMIUM locutum esse, constare potest ex ejus verbis, quæ excitavit FABRICIVS l. c.

f) Vid. laudatum FABRICIVM l. c. p. 326.

L

## §. LXXXVI.

ORIGENES utique pericopam nostram non exposuit, quia MARCI Evangelium nullo Commentario illustravit. Neque enim is omnes libros Novi Testamenti est interpretatus. CHRYSOSTOMVS pariter historiam MARCI Evangelicam haud explicavit, quid inde? Neque explicavit LVCAM, & tamen hujus Evangelium omnino est authenticum. Non capio, quo fundamento FABRICIVS scribere potuerit, CHRYSOSTOMVM huic Capitulo favisse, & THOPHYLACTVM una cum Authore Catenæ Græcæ in MARCVM id testari. Denique VICTOR ANTIOCHENVS, uti annotavit B. D. g) BENGELIVS, ea perhibet, quæ versus nostros confirmant potius, quam tollant.

## §. LXXXVII.

Quod si jam causa inquiretur, unde factum sit, ut in Codicibus multis versus duodecim postremi in Evangelio MARCI desiderati fuerint, dicendum, fortassis illos vel similis ingenii Christianos, qui apud eundem Evangelistam C. XIII. 32. sustulerunt verba *εἰ δὲ ὁ υἱὸς*, ut ARIANORVM objecta evaderent, etiam sustulisse capitulum postremum, quo effugerent calumnias PORPHYRII,  
JV-

g) Appar. Critic. p. 516.

IVLIANI, & aliorum infidelium. Ita FABRICIVS. *b)*  
 Dissentit HOFFMANNVS, *i)* qui aliis iudicandum  
 relinquit, num talis audacia Christianis primis,  
 in servanda Novi Testamenti puritate assiduis,  
 recte tribuatur.

§. LXXXVIII.

CLERICVS *k)* arbitratur, hanc omissionem  
 tribuendam esse exscriptoribus, qui in hac parte  
 MARCVM cum MATTHAEO in concordiam non  
 posse revocari existimarint. Sed concordiam in-  
 ter duos hosce Viros sanctos jam tunc tentatam  
 fuisse, discimus ex verbis HIERONYMI allatis,  
 & vitium grande fuisset librariorum, si loca dif-  
 ficilia, quasi re bene gesta, semper voluissent omit-  
 tere in fonte Græco.

§. LXXXIX.

Temperamento critico eodemque laudabili in  
 hoc negotio uti videtur B. noster D. *l)* BENGELIUS,  
 inquiens: "Fieri potuit, ut librarius scri-  
 pto versu octavo reliquam partem scribere differ-  
 ret,

*b)* l. c. p. 326. seq.

*i)* Introduct. PRITII in Lektionem N. T. p. 18.

*k)* Art. Crit. P. III. S. I. C. XV. p. 228.

*l)* l. c.

ret, & id exemplar, casu non perfectum, alii quasi perfectum sequerentur, praesertim quum ea pars cum reliqua historia evangelica minus congruere videretur.,,

§. XC.

MILLIVS *m)* opinatur, nec sine specie opinatur, verba spuria commati decimo quarto subjuncta occasionem suppeditasse toti hiatus, qui inde a versu nono nostri capituli, usque ad ejus finem deprehenditur. Cum enim ista omittenda esse facile deprehenderentur, factum est, ut & caetera ab imperitis hac occasione omissa sint. Plura huc pertinentia dedit etiam in Prolegomenis MILLIVS, *n)* qui additamentum illud MANICHAEORVM esse censuit, quo observato, id solum fuisset delendum, non vero tota capituli clausula ceu falsa omittenda.

*m)* N. T. G. f. 118.

*n)* §. 724.



*Coll. diss. A. 86, misc. 54*